09

Coruus in aratum pedibus cratera recuruis
Tollit & aereum peruolat altus iter.
Stabat adhuc duris ficus densissima pomis:
Tentat eam rostro, non erat apta legi.
Immemor imperij sedisse sub arbore fertur:
Dum fierent tarda dulcia poma mora.
Iamque fatur, nigris longũ rapit vnguibus hydrum,
Ad dominumque redit fictaque verba refert.
Hic mihi causa moræ viuarum obsessor aquarum,
Hic tenuit fontes, officiumque meum.
Addis, ait, culpæ mendacia Phœbus? & audes
Fatidicum verbis fallere velle Deum?
At tibi dum lactens hærebit in arbore ficus:
De nullo gelida fonte bibentur aquæ.
Dixit: & antiqui monimenta perennia facti
Anguis, auis, crater, sidera iuncta micant.
TErtia: post Idus nudos aurora Lupercos
Adspicit: & Fauni sacra bicornis erunt.
Dicite Pierides sacrorum, quæ sit origo:
Attigerint Latias vnde petita domos.
Pana Deum pecoris veteres coluisse feruntur
Arcades: Arcadijs plurimus ille iugis.
Testis erit Pholoè: testes Stymphalides vnde:
Quique citis Ladon in mare curris aquis.
Cinctaque pinetis nemoris iuga Nonagrini,
Altaque Trœzene, Parrhasiæque niues.
Pan erat armenti, Pan illic numen aquarum:
Munus ob incolumes ille ferebat oues.
Transtulit Euander siluestria numina secum
Hic, vbi nunc vrbs est, tunc locus vrbis erat.

In-

Nata simul, moritura [illegible] sub vndas
Corpora desierat: deposuitque sinu.
Vagierant ambo pariter, sensisse putares.
Hi redeunt vadis in sua tectagenis.
Sustinet impositos summa canus alueus vnda,
Heu quantum fati parua tabella tulit.
Alueus in limo siluis appulsus opacis
Paulatim fluuio deficiente sedet.
Arbor erat: remanent vestigia: quæque vocatur
Romula nunc ficus, Rumina ficus erat.
Venit ad expositos (mirum) lupa fœta gemellos,
Quis credat pueris non nocuisse feram? (trit.
Non nocuisse parũ est, prodest quoq; quos lupa nu-
Perdere cognatæ sustinuere manus.
Constitit: & cauda teneris blanditur alumnis:
Et fingit lingua corpora bina sua.
Marte satos scires: timor abfuit, vbera ducunt:
Nec sibi promissa lactis aluntur ope.
Illa loco nomen fecit: locus ille Lupercis.
Magna dati nutrix præmia lactis habet.
Quid vetat Arcadio dictos à monte Lupercos?
Faunus in Arcadia templa Lycæus habet.
Nupta quid expectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ:
Iam socer optatum nomen habebit [illegible]ui.
Nam fuit illa dies, dura cùm sorte maritæ
Reddebant vteri pignora rara sui.
Quid mihi clamabat, prodest rapuisse Sabinas,
Romulus (hoc illo sceptra tenente fuit:)

Si

Sol fugit, & remouent subeuntia nubila cœlum:
Et grauis affusis decidit imber aquis.
Hinc tonat, hinc missis abrumpitur ignibus æther,
Fit fuga, Rex patrus astra petebat equis.
Luctus erat falsæque patres in crimine cædis:
Hæsissetque animis forsitan illa fides.
Sed procul è longa veniebat Iulius Alba:
Lunaque fulgebat: nec facis vsus erat.
Cùm subito motu sepes tremuère sinistræ:
Rettulit ille gradus: horruerantque comæ.
Pulcher, & humano maior, trabeàque decorus
Romulus in media visus adesse via:
Et dixisse simul, prohibe lugere Quirites:
Ne violent lacrhymis numina nostra suis.
Thura ferant: placentque nouum pia turba Quirinũ
Et patrias artes militiamque colant.
Iussit, & in tenues oculis euanuit auras.
Conuocat hic populos, iussaque verba refert.
Templa Deo fiunt collis quoque dictus ab illo est:
Et referunt certi sacra paterna dies.
Lux quoque cur eadem stultorum festa vocetur,
Accipe: parua quidem causa sed apta subest.
Non habuit doctos tellus antiqua colonos:
Lassabant agiles asperа bella viros.
Plus erat in gladio, quam curuo laudis aratro:
Neglectus domino pauca ferebat ager.
Farra tamen veteres iaciebant farra metebant:
Primitias Cereri farra resecta dabant.
Vsibus admoniti flammis torrenda dederunt:
Multaque peccato damna tulère suo.

Nam

Fœdera seruasset si non formosa fuisset:
Cauit mortales: de Ioue crimen habet.
Mille feras Phœbe siluis venata redibat,
Aut plus, aut medium sole tenente diem.
Vt tetigit locum (densa niger ilice lucus,
In medio gelidæ fons erat altus aquæ)
Hic, ait, in silua, virgo Tegeæa, lauemur.
Erubuit falso virginis illa sono.
Dixerat & nymphis: nymphæ velaminа ponunt
Hanc pudet, & tardæ dat mala signa moræ.
Exuerat tunicas: vteri manifesta tumore,
Proditur indicio ponderis ipsa sui.
Cui Dea, Virgineos periura Lycaoni cœtus
Desere, nec castas pollue, dixit, aquas.
Luna nouum decies implerat cornibus orbem,
Quæ fuerat virgo credita, mater erat.
Læsa furit Iuno, formam mutatque puellæ:
Quid facis? inuito est pectore passa Iouem.
Vtque feræ vidit turpes in pellice vultus,
Huius in amplexus Iuppiter, inquit, eat.
Vrsa per incultos errabat squalida montes,
Quæ fuerat summo nuper amata Ioui.
Iam tria lustra puer furto conceptus agebat,
Cùm mater nato est obuia facta suo.
Illa quidem, tanquam cognosceret, adstitit amens,
Et gemuit, gemitus verba parentis erant.
Hanc puer ignarus iaculo fixisset acuto,
Ni foret in superas raptus vterque domos. (Ecton,
Signa propinqua micant, prior est, quã dicimus Ar-
Arctophylax formam terga sequentis habet.

2008

Sæuit adhuc, canamque adit Saturnia Tetyn,
Mænaliam tactis ne lauet Arcton aquis.
IDibus agrestis fumant altaria Fauni
Hic, vbi discretas insula rumpit aquas.
Hæc fuit illa dies in qua Veientibus armis
Tercentum Fabij, ter cecidere duo.
Vna domus vires & onus susceperat vrbis,
Sumunt gentiles arma professa manus.
Egreditur castris miles generosus ab isdem,
E quis dux fieri quilibet aptus erat.
Carmentis portæ dextra est via proxima Iano,
Ire per hanc noli, quisquis es omen habet.
Illa fama refert Fabios exisse trecentos:
Porta vacat culpa, sed tamen omen habet.
Vt celeri passu Cremeram tetigere rapacem,
(Turbidus hibernis ille fluebat aquis)
Castra loco ponunt, districtis ensibus ipsi
Tyrrhenum valido Marte per agmen eunt.
Non aliter, quàm cùm Lybica de gente leones
Inuadunt sparsos lata per arua greges.
Diffugiunt hostes: inhonestaque vulnera tergo
Accipiunt, Thusco sanguine terra rubet.
Sic iterum sic sæpè cadunt vbi vincere apertè
Non datur, insidias armaque tecta parant.
Campus erat: campi claudebant vltima colles:
Siluàque montanas occulere apta feras.
In medio paucos, armentaque rara relinquunt:
Cætera virgultis abdita turba latet.
Ecce, velut torrens vndis pluuialibus auctus,
Aut niue, quæ zephiro victa repentè fluit.

Per-

Venit ad Euphratem comitata Cupidine paruo,
Inque Palæstinæ margine sedit aquæ.
Populus, & cannæ riparum summa tenebant:
Spemque dabant salices hos quoque posse tegi.
Dum latet insonuit vento nemus, illa timore
Pallet: & hostiles credit adesse manus.
Vtque sinu tenuit natum, Succurrite nymphæ,
Et Dis auxilium ferte duobus, ait.
Nec mora, prosiluit: pisces subiere gemelli,
Pro quo nunc, cernis, sydera numen habent.
Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis,
Ne violent timidi piscibus ora, Syri.
PRoxima lux vacua est. At tertia dicta Quirino,
Qui tenet hoc nomen Romulus ante fuit.
Siue quòd hasta Quiris priscis est dicta Sabinis:
Bellicus, à telo venit in astra Deus.
Siue suo regi nomen posuere Quirites,
Seu quia Romanis iunxerat ille Cures.
Nam pater omnipotens post quã noua mœnia vidit
Multaque Romulea bella peracta manu.
Iuppiter, inquit, habet Romana potentia vires:
Sanguinis officio non eget illa mei.
Reddo patri natum, quamuis intercidit alter:
Pro se, proque Remo, qui mihi restat erit.
Vnus erit, quem tu tolles in cærula cæli.
Tu mihi dixisti sint rata dicta Iouis.
Iuppiter annuerat, nutu tremefactus vterque
Est polus: & cæli pondera mouit Atlas.
Est locus: antiqui Capreæ dixere paludem,
Fortè tuis illic, Romule, tuba dabas.

Sol

CVRSVS
VTRIVSQVE PHILOSOPHIAE
TAM RATIONALIS, QVAM NATVRALIS, DIALECTICAM, METAPHYSICAM, PHYSICAMQVE

complectentis Disputationibus ac quæstionibus illustrati,

AVCTORE

R. P. M. Fr. ANDRAEA DE LA Moneda Burgensi Sacræ Theologiæ professore; & in eadem vrbe Regalis Diui Ioannis Baptistæ olim Abbate; nunc vero Congregationis Sanctissimi Benedicti litteris, & obseruantia in Hispania fulgentis Diffinitore.

TOMVS QVARTVS.

OPVS PHILOSOPHIÆ AC THEOLOGIAE candidatis per vtile.

Con licencia: En Burgos, por Miguel de Azpilcueta. Año 1661.

De Dr Manuel de Zarate ad Vsum hijo del Sr. Saluador del Sr. de Oña

PERILLVSTRI HEROI, clarissimo viro, D. D. Ioanni Gonzalez, Iacobzo equiti, Regij ac supremi Senatus Consiliario, &c.

RATIONALIS ac PHILOSOPHICVS CVRSVS post triplicem in prælo sudorem, fatigatosque typos, desinere tentat, motumque suum glorioso termino coronare. Quod vt assequatur talem exoptat finem, quale habuit principium. Evulgavi in lucem prima PHILOSOPHIAE elementa sub auspicio ILLVSTRISSIMI PARENTIS TVI, INDIARVM PRAESIDIS, Regijq; Archiconsiliarij. Restabat postremam PHYSICAE partem Magno eiusdem FILIO, ac vividæ imagini destinare. Id exegit mutua inter vtrumq; similitudo, miraq; talentorum sympathia, ac talis, vt non tam corpus à corpore, quã animus ab animo effluxisse videatur. Meritò Lyricus:

Fortes creantur fortibus & bonis.
Est in iuvencis, est in equis patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Horat. 4. Carm. 4.

Forsan nisi talis Filius in eodem opere

cum tanto Parente reciprocè insonaret, tãquam irregulare putaretur, aut mõstrum, quasi ablata inter vtrumque similitudine.

Chrysost. Matth. 23 Homil. 43. *Regula enim est* (ait Chrisostomus) *humanæ naturæ, vt omnis homo nascatur duos oculos habens, & quinos digitos; licet aliquando nascatur homo præter regulam sex habens digitos, aut oculos omninò non habens. Sic & homo extra regulam naturæ rarò procedit vt dissimilis nascatur filius parentibus.* Ergo oportuit vel in his adscititijs & externis seruari similitudinem inter Patrem ac Filium, ne amborum dissimilis putaretur conditio. Quin & hoc ipsum exigere videbatur Operis huius inscriptio, quod de GENERATIONE est. Ipsa enim *similitudinem naturæ* proprietatumque exoptat, & *originem viventis á vivente.* Quis autem has leges *Generationis* in TE servatas non advertat, cum á Patre, à principio viuente processeris; & vere viuente, quia sapiente? Aristoteles namque apud

Laertius l. 5. c. 1. Laërtium interrogatus quâ ratione differret sapiens ab indocto, respondit: *In eo, quo vivi á mortuis.* Itaquê à Patre, non mortuo, sed viuente, non indocto, sed lit-

litteratissimo; vivens quà sapiens processisti, verè Filius & per *Generationem* quia similis.

Altera huius libri pars, & quidem omnium nobilissima, est quæ de ANIMA tractat *Huius originem de cœlo manare* (inquit Macrobius) *inter rectè philosophantes indubitata constat esse sententia.* Quapropter non modò fide magistra certum est ipsam á solo Deo creari, sed etiam ratione naturali constat adeò nobilem spiritum pulvereæ conditionis exortem, non alia habuisse incunabula, quam cœlestia. Id certè assequutus Cicero, dum sic fatus: *Animorum nulla in terris origo inveniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terrâ natum & fictum esse videatur, nihil aut humidum, aut flabile, aut igneum. In his enim naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationisque habeat; quod præterita teneat, & futura provideat, & complecti possit præsentia, quæ divina sunt. Nec invenietur unquam unde venire possit, nisi à Deo.* Hactenus Cicero sola ductus naturali ratione. Et quamuis hoc commune sit rationali-

Macrob. lib. 1. super somnio. Scipion. c. 9

Cicero. l. 1. Tuscul. Quæst.

bus animis, ſpeciali adhuc titulo innoteſcit in mentibus ſapientum, quas cœleſtibus præditas opulentijs, & intelligentia elevatas ſublimi, manifeſtum eſt nõ aliunde, quàm è cœlo potuiſſe deſcendere. Meritò igitur animum Tuum, VIR CLARISSIME, de ſublimi illa Regione emanaſſe credendum eſt, quem ſapientia, eruditione, ac multiplici politura mentis excultum, non terra, non limus, non elementarium aliquid, ſed omnino altius principium edere potuit. Si tamẽ aliquod infra Deum eſſet animabus exordiũ, quis non crederet Tuam à Parentis anima derivatam, cui ſimillima extat in donis ſapiẽtiæ, prudentiæ, ac litteraturæ? Sanè *Generatio* ſi quemadmodum viuentium corporum eſt, ita animarum eſſet, putandum foret mentem Tuam capaciſsimam & ad eximia natam, paterna prodijſſe geneſi, ſpiritumque Genitoris ijſdem lineamentis, ijſdem expreſiſſe coloribus. Cùm tamen vltra modum nobilior ſit à Deo, quã ab homine origo, nolo animum Tuum deprimi ex eodem capite quo videbatur extolli. Vnum id opto, vt quemadmodum

dum nobilis illa portio, qua conſtas, à Deo proceſsit tanquam primo & vno principio, ſic ad ipſum redeat tanquam ad vltimum finem: vt poſt faſces, poſt iura data, poſt ſupremos Conſulatus tandem iuſto & æquo greſſu decurſos, in obſequium Maieſtatis, in ornamentum Patriæ, defenſionem iuſtitiæ, & zelum pro tuenda veritate infractum, ſine alicuius iniuria, abſque perſonarum acceptione, plenus meritis, & de bono publico benemeritus, aliquando in elevatiori ſphœra, capaciorique aula videas, legas, relegaſque nomẽ Tuum perennibus electorum faſtis adſcriptum. Sic opto, ſic ſpero, ſic rogo,

ILLVSTRIS DOMINATIONIS TVAE

Servus & cliens

M. Fr. Andreas de la Moneda.

APRO-

APROBATIONES.

A BENEDICTINA Religione.

HVNC quartum Tomum secundæ partis: *Cursus vtriusquè Philosophiæ, tàm Rationalis, quàm Naturalis.* R.P. M. Fr Gaspar de Tapias, in rebus fidei Sanctæ Inquisitionis Calificator aprobauit, el Reuerendissimus P. N. Magister Fr. Didacus de Sylua Hispaniæ atque Angliæ Benedictinorum Generalis facultatem præstitit. Die 4. Februarij, Anno 1660.

A ORDINARIO BVRGENSIS Archiepiscopatus.

D. D. Petrus Fernandez del Pulgar, Archiepiscopatus Burgensis Visitator Generalis, ex commissione Doctoris D. D. Didaci de Treuiño Vicarij Generalis Burgensis, & laudauit, & approbauit. Die 8. Aprilis, Anno 1660.

PRO

PRO SVPREMO REGIO Senatu.

SApientissimus P. Magister Fr. Eugenius de Mora Pasamontes in Sacra Theologia Magister, & in curia Regis Catholici, Monasterij Passionis Prior, ex speciali decreto Regij ac Supremi Senatus, hunc librum ab omni censura iudicauit immunem. Die 24. Augusti, Anni Domini 1660.

SVMA DEL PRIVILEGIO.

TIene el R. P. M. Fr. Andres de la Moneda, Difinidor de la Religion de S. Benito, licencia, y Priuilegio de su Magestad por diez años, para imprimir, y vender, vn libro que ha compuesto, intitulado: *Cursus vtriusque Philosophiæ, tam Rationalis, quam Naturalis, Tomus quartus*, como parece por el testimonio que diò Martin de Villela Secretario de Camara. En Madrid à 21. de Agosto, de 1660.

TASSA.

ESTá tassado este libro, por los señores del Consejo, á quatro marauedis el pliego, como consta del testimonio de Miguel Fernandez Noriega Secretario de Camara. En Madrid à 1. de Octubre, de 1661.

LECTORI.

EDITIS iam tribus Tomis Cursus nostri, Quartum denique tibi offero, in quo partim de *Generatione & corruptione*, partim de *Anima* sermo est; & quidem brevis iuxta methodum Scholarum communē, quibus tempus non vacat examinandi omnia, sed præcipua tantum, & auditoribus viam parantia ad maiores progressus. Neque mirum est si ea, quæ ad Animam spectant, non plenê examinemus; cum tanta eius nobilitas sit, vt Scholastica Doctorum omnium meditatione impleri nequeat, sive ad plenum exponi. Quod bene calluisse videtur Bernardus. *serm. dedicationis* sic loquens: *Ad imaginem Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari potest; repleri omnino non potest capacem enim Dei quidquid minus est non implebit.* Naturam eius sublimem, â cœlo elapsam, ad imaginem Dei conditam, ad ipsum vt finem redituram, semper vividam, nunquam mortalem, nec corruptioni obnoxiam, nec tempori, virtutem habentem vt fiat quodammodo omnia, quidquid examines ad lucernam & oleum, libabis tantum, non tamen ad plenum intelliges. Sufficiat pro apparatu ad vlteriores notitias fundamenta de natura & potentijs animæ delibare, quorum certè cognitio infructuosa non erit. Vt enim habet Themistius *super 1. de Anima, si veritatem de anima cognouerimus, valde magnum erit nobis introductorium ad omnem veritatem.* Vbi nomine *veritatis omnis* non ea tantum intelligi debet, quæ ad Physicam spectat; sed etiam quæ ad omnes scientias naturales, morales, ac diuinas; quæ facilius, vividius, fructuosius ex notitia prævia animæ dignoscuntur.

tur. Nec veritates speculabiles tantum nomine *veritatis omnis* comprehensas existimes; sed etiam practicas, quæ ad ethicam salutarem, rectamque vivēdi formam conducunt. Quis enim tam excors, tam væsanus, aut sui ipsius despector sit, vt animam, propriam cognoscens nobilissimam, immortalem, deiformem, non dubitet cœnosis operibus, & volutabro vitiorum tam limpidum maculare crystallum? Quis tam insipidus, vt in clarissimum fontem, vbi cœlum reverberat, rident aquæ, & variegata lympha delectat, glebas immitat, & lutum, quo inquinante tota aquarum claritas & pulchritudo disparcat. Haud aliter faciunt qui nobilium animarum immemores, impuris operibus, & vitiorum colluvie crystallum à Deo receptum obscurant, liberumque ac solutum spiritum tenebroso carcere comprimunt. Ergo illorum medicamine inserviat, quod aliqualem de perfectione Animæ notitiam offerimus; vtinam proficuam, neque tibi, AMICE LECTOR, ingratam. VALE, & Typographorum peccata, si quæ notaveris, aut benignê corrige, aut patienter dissimula.

ERRATAS.

Pág.ina 5.columna 1, linea 7, cum secundaria passione, lege, cũ actione. P.17, col.2, l.11, expressibis, l.expressius. P.20, col.4.l.28, composit, leg.compositio. P.21.col, 1, l,33.dri a ciptum, lege. principium. P.25.col.3.l.13, quantitate, lege, quantitate. P.25, col.3.l. 27, inconsequentiam, lege, consequentiam. Ibi, col, 4, l, 23 debebet, lege, debet. P.26.col.1, l. 17, suæ, leg, sua. Ibi.col.4, l.12.constitutis, leg, constitibus. P.29, col.4, l,23, aliquod sit, leg, aliquod quod sit. P, 30.col.4, l.18, hanc, leg, hic. P, 32, col.2, l.17, consequotur, leg, consequitur. P.41, col.1, l.20. a formæ, leg, a forma. P, 47, col.2, lin.18, conuertibilis, leg.conuertibilẽ. P.49.col.1, l, 25, ad mixtionem, dele *ad*, & leg. mixtionem. P.52, col.3.l.35, acta&, leg, actuet. P.53, col.1, l.8, ad extrinseco, leg, ab extrinseco. P.55, col.1.l,30, efficientes, leg.efficienter. P.56, col.3, l.24, essentia, leg, entia. P.57, col.2.l.26, elementis, leg, ex elementis. P. 59, col.3, l.31.conuingitur, leg, coniungitur. P. 61.col,3.l.30.in formatiuum, leg.in formationem. Ibi, col.4, lin.18, constituta, leg, constitutum. P. 62, col.4, l.18, anima, leg, animę. P.63, col.1, l.28, effectiua, leg, effectiuæ. Ibi.col.2, l.23, quia, leg.qua. Ibi.col, 3.l.penuir.explicet, leg.explicat. P.65, col.3, lin.5, tellectum, leg.intellectum. P, 67, col.1, l.22, motuuntur, leg, motu vtuntur. Ibi.l.39, animaliam, leg, animalium. Ibi.col.4, l.vlt. perfectionem, leg, & adde perfectionẽ animæ. P,71, col.3, l.28, vnico, leg, vnio. P.72, col.1, lin.27.vnius, leg, vnitus. P.73.col.4, l.34.quia, leg, quod. P.74.col.4, l.11, animæ, leg.anima. P.76, col, 2, l.37, dimare, leg, dimanare. P.76, col, 3, l, 24, od, leg, ad operationem. P.76, col.3, l.26, organa, leg, organo. P.77, col.3, l.26, est in omine, leg, est in homine. P.77, col.3, l.35, formis, lege, formis P.77, col.4, l.29, constitututiua, lege, constitutiua. P 77, col.4, l.32, vti quod, leg, vt quod. P, 20.col, 1.l,7.onniu, leg, omnium. P.80, col, 3.l.vlt.sic pars, leg, si pars. P.80, col, 4, l.3, desineret, leg, desineret. P.80, col.4, l.7, p rte, leg, parte. P, 80. col.4. l,20. partiuum, leg, partium. P.83, col.2, l.14, finis, leg, finis. P. 83, col.4, l.12, definitur, l.definiuntur. P.84, col.4, l.2, qua, leg, quæ. P.85, col.4, l.21, distiguere, leg.distinguere. P. 86, col, 3, l. 10, ratione, leg, a ratione. Pag.87, col.2, l,9. specioce, leg, specifice. P,88, col.3.l,3.conueniu, leg, conueniunt. P.89, col,4, l.3, ex secundate, leg, ex secunda. P.89, col.1, l.20, Angelici, leg, Angeli. P.90, col.2, l.13. ad obiectis, leg, ab obiectis. P.95, col.2.l.18.communiate, leg. cõmunicatę. P.95, col, 4.l.36, dilaratu, leg. dilatatus. P.96.col.4, l,27, obiesti, lege, obiecti. P.96.col.4, l.29, speceem, leg, speciem. P.97.col, 4.l,11. aliquas, leg, aliquos. P. 97.col,1, l. 17, concurso, leg.concursu. P.99, col.2, l.13, est econtra, leg, & ecõtra. P.99, col.3, l.6, ad hoc voluntate, leg. ad hoc vt voluntas. P.99.colum.3, l,16. non formalis, leg, nam formalis. P.100 col.1, l.8, secundam, leg, secundum. P. 100. col, 3.l.34, ac apellat, leg, hanc apellat. P. 102. col, 1.l.38, determinant, leg, determinans. P.105, col.3, l.35, singularium, leg, singularium.

HIC liber inscriptus: *De generatione, corruptione, & anima, Tomus quartus*, demptis his mendis suo exemplari fideliter respondet. Datum Matriti die quinta, mensis Octobris, Anno 1661.

Licent. D. Carolus Murcia de la Llana.

COM-

COMMENTARIA IN LIBROS DE GENERATIONE, ET CORRVPTIONE.

PARS SECVNDA.

PROOEMIVM.

IN hac ſecunda Philoſophiæ parte diſputat Philoſophus de ortu, & ocaſu naturæ, vt corruptibilitas noſtræ mortalitatis, etiam in ipſo naturæ oriente, occidentis inueniret horrores. Non diſputat Philoſophus in præſenti de principio naturæ orientis, ſed de naturæ oriente, quod mediat inter principium, & terminum De hoc ergo grauiores difficultates maiori cõcludam breuitate.

LIBER PRIMVS DE ORTV, ET INTERITV.

IN hoc libro diſputat Philoſophus de generatione, & corruptione, de alteratione, augmentatione, & mixtione, quæ ſunt proprietates entis generabilis, & corruptibilis: in primo, & ſecundo capite, antiquorum, (circa generationem, & corruptionem) errantes ſententias refert, & refutat. In tertio, & quarto propriam declarat, & diſcrimen

inter generationem, alterationem, augmentationem, & alios motus constituit, à quinto vsque ad nonum caput, augmentationis, & diminutionis naturã, & quomodo in his motibus actio, & passio reperiantur, declarat: & denique in vltimo doctrinam aliquam de mixtione, (sequenti libro latius pro sequendam) proponit.

DISPVTATIO PRIMA
DE GENERATIONIS NATVRA.

A Generatione exordium sumere Philosophi consueuerunt: tum quia reliquis mutationibus viuentium præstantior, & excelẽtior apparet: tum quia ab ipsa libri hi inscribũtur: quare vt illius quidditatem, & naturam maiori explicemus vtilitate. Sit.

QVÆSTIO I.

Quid sit generatio, tàm in communi, quam in particulari?

(.•.)

§. I.

Generatio substantialis in communi elucidatur.

1. PHilosophus, in præsenti, capite 4. sic generationẽ substantialem (vt sic) definiuit: *generatio est mutatio totius in totum nulle sensibili manente.* Ly *mutatio* loco generis posita abstrahit à mutatione physica, & metaphysica: nã mutatio physica non est de conceptu essentiali generationis, seu eductionis vt latè ostendi, in Philosophia. lib. 1. disputat. 4. de forma substantiali, quæst. vnica, §. 6. num. 24. Ex quo colliges privationem physicam non esse essentialiter principium entis naturalis; nisi tale ens naturale sit per mutationem physicam factum: tum quia ad generationem, (vt cõstat in prima rerum productione) sufficit mutatio metaphysica: tum quia vt in præsenti disputatione docent Carmelitæ (quos in 1. libr. Philosophiæ, disput. 4. quæst. 1. §. 1. nu. 1. vt aduersarios habui) generatio essentialiter nõ est mutatio; licet semper illam exigat. Ly *totius in totum* ponitur loco differentiæ subalternæ; quia per illam distinguitur generatio à productionibus formarum accidentalium, quæ vniuersaliter, & nimis latè appellantur generationes. Ly *nullo sensibili manente*, ponitur ad denotandum, nullum accidens corrupti manere

re in genito. Sed de hoc latius, quæst. sequen.

2. Dices. Secundum hanc definitionem, generatio (*vt sic*) includit mutationem: ergo etiam generatio particularis *Verbi Diuini*, v. g. illam includit; cum per hoc debeat analogari cum generationibus viuentium: at qui hoc est falsum; vt ex se constat: ergo definitio generationis *vt sic* est mala. ¶ Respondetur, in præsenti Philosophum solum definijsse generationem, vt sic, prout ab omnibus creatis abstractam; non verò prout ab increata abstrahentem; nam hæc cum illis solum analogatur in ratione originis, quæ in suo conceptu ab imperfectione mutationis est immunis: in creatis enim multoties dantur aliqua prędicata, quæ in rationibus vniuersalioribus imperfectiones exprimunt Deo repugnantes, quas in determinatis non exprimunt: vt constat in scientia, quæ secundum rationem accidentis non est in Deo, quia imperfectionem exprimit; & tamen secundum rationem claræ cognitionis, est in illo propter oppositam rationem: sic generatio, secundum rationem mutationis, non est in Deo licet secundum rationem originis in illo, sit.

§. II.

Viuentium generatio expenditur.

3. Doctor Angelicus, 1. p. quęs. 77. art. 2. o. & 4. contra Gentes, cap. 12. sic viuentium generationem definiuit: *generatio est origo viuentis à principio viuente coniuncto, secũdum rationem similitudinis in natura eiusdem speciei.* In primis enim per ly *viuentis*, intelligi debet substantia viuens, totalis, completa, & per se subsistẽs; & non pars, aut aliquid incompletum spectans ad integritatem viuentis: per hanc particulam exclusa manet à ratione generationis, non solum productio non viuentis, sed quæcumque alia, qua aliquid de nouo incipit viuere in viuente iam producto; vt est *nutritio*, per quam acquiritur noua pars substantiæ similis viuenti. Ly *à principio viuente coniuncto*, ponitur ad denotandum, quod ad generationem, non solum requiritur principium vitale, sed vltra hoc, quod vitali modo concurrat, tribuendo genito aliquid, quod in principio fuit genitori coniunctum: nam (vt peritiores docent Thomistæ) pater, media seminis decisione, tribuit filio aliquid intrinsecũ, quod postea per modum materiæ intrat ad filij constitutionem: vtique quia semen virile non solum concurrit efficienter, sed materialiter etiam ad geniti constitutionem. Hæc particula fuit desumpta ab Angelico Doctore ex Philosopho. 3. æthic. cap. 12. vbi affirmat filios magis esse coniunctos parentibus, quam è conuerso: cuius rationem reddit in hæc verba: *est enim filio, ex quo est: ortum, tro-*

primum id, quod ex ipso parente est ortum: quibus verbis significat filium in sua productione accipere à patre aliquid de sua propria substantia. Per hanc particulam excluditur Euæ productio à ratione generationis; quia hæc non fuit generatio, nec respectu Dei, nec respectu Adami: nõ ex parte Dei; quia in Eua non fuit pars, quæ prius fuerit Deo intrinseca: non ex parte Adami; quia vitali modo ei non ministrauit costam, ex qua fuit à Deo producta. Et etiam per hanc particulam excluduntur viuentia, quæ fiunt à Dæmonibus incubis, infundentibus semen virile in vas fœmineum; nam Dæmones non tribuunt vibentibus aliquid ipsis intrinsecum: vnde non sunt à Dæmonibus, sed ab hominibus, (à quibus fuit semen decisum) geniti. Ly *secũdum rationem similitudinis in natura eiusdem speciei*, ponitur ad denotandum, genitum debere asimilari genitori, nedum in ratione generica, sed etiam in specifica ex vi ipsius generationis. Hæc particula fuit desumpta à Diuo Thoma ex Philosopho. 2. de anima, cap. 4. vbi docet, naturalissimum esse viuenti facere aliud, quale est ipsum; vt *animal, animal*; *planta, plantam*: & hoc colligit ex fine, ad quem generatio ipsa à natura ordinatur, qui est, conseruatio speciei. Per hanc particulam excluduntur à ratione generationis productiones animalium, quæ ex sudore, vel ex morbo fiunt; non vero productio Muli ex Equo, & Asina, quia ex intentione vtriusque tendit ad productionem effectus similis, licet ex accidenti, similis non exeat.

§. III.

Theologicum argumentum proponitur, & soluitur.

4. SEcundum fidem Spiratio Spiritus Sancti non est generatio; & tamen omnes definitionis particulæ ei conueniunt: cum sit *origo viuentis*, idest Spiritus Sancti; *à viuente*, idest, à Patre, & Filio; *à principio coniuncto in similitudinẽ naturæ specificæ*; cum ei communicent eandem numero naturam, modo vitali: ergo hæc definitio, vt fidei opposita debet reijci. ¶ Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: nam vt Spiritus Santus esset genitus, & illius processio generatio non sufficit, quod ei communicent eandem naturam; sed vlterius requiritur quod ei cõmunicent nãturam, *ex vi sua processionis*, hoc est, quod ex vi propria tendat formaliter processio ad similitudinem; eo modo quo processio Filij tendit ad illam: vnde non est idem, accipere naturam *à processione*, ac accipere illam *ex vi suæ processionis*. Constat hoc in mirabili substantiæ panis conuersione; vbi non est idem esse aliquid sub speciebus panis *à cõuersione*, & esse sub illis *ex vi conuersionis*: nam

nam sanguis est sub speciebus panis à conuersione, hoc est concomitanter: (vt docet fides) & tamẽ non est sub illis ex vi conuersionis, hoc est formaliter, vt est corpus sub accidentibus panis ex vi conuersionis. Et quod hæc solutio sit iuxta mentem nostri Parentis, & Magistri Anselmi, constat ex Monologio, cap. 53. vbi hæc profert verba: *quid ergo cum hic amor pariter habeat esse à Patre, & Filio, & sic similis sit ambobus, vt nullatenus dissimilis sit illis, sed omnino idem sit, quod illi: numquid Filius eorum, aut proles æstimandus est? sed sicut Verbum mox vt consideratur se prolem esse, eius à quo est euidentissimè, probat promptam præferendo Parentis imaginem; sic amor apertè se prolem negat, quia dum à Patre, & Filio procedere intelligitur, non statim tam perspicuam exhibet se contemplanti, eius ex quo est, similitudinem; quamuis ipsum considerata ratio doceat omnino id ipsum esse, quod Pater, & Filius.*

5. Ex his colliges primo, processionem amoris, *ex vi sua* solum producere impulsum, ad distinctionem processionis Verbi, quæ *ex vi sua* communicat Verbo, non impulsum, sed naturam:

6. Colliges secundo, processionem Verbi non esse solum, quia diuina, formaliter assimilatiuam; aliàs processio Spiritus Sãcti, quæ diuina est, assimilatiua esset formaliter: cum ratio diuinitatis in illa, sicut in Verbi reperiatur processione.

7. Colliges tertio processionẽ Verbi non esse solum assimilatiuã *in esse intelligibili*; (vt sunt intellectiones creatę) sed etiam *in esse naturali*: tum quia (vt aliqui volunt) in Deo coincidunt per viam rationis formalis esse intelligibile, & esse naturale: tum quia (vt alij opinantur) essentia Dei, (quæ est ratio agendi respectu intellect. sub formalitate speciei intelligibilis) exæquo coalescit ex perfectione entitatiua, & intelligibili: tũ quia licet intelligibilitas essentiæ non coincidat, nec intret ad essentiæ constitutionem, sed sit aliquid ad essentiam cõsecutum, per modum quasi proprietatis, tamen intelligibilitas in diuinis, tam ex parte rationis agendi, quam ex parte termini se habet vt conditio, seu vt ratio formalis *sub qua*; & essentia secundum esse naturale vt ratio formalis *quæ*; & sic intellectus paternus intendit terminum assimilare principio, nedum *in esse intelligibili*, sed etiam *in esse naturali*. Quod non reperies in processione voluntatis; tum quia hæc per modum rationis formalis *quæ* habet impulsum, & non naturam: tum quia ex se nõ est formaliter assimilatiua. Sed de hoc latius in Theologia in materia de Trinitate.

QVÆSTIO II.

Vtrum generatio vnius sit corruptio alterius?

§. I.

Sensus quæsiti aperitur.

1. Pro tituli intelligentia nõ-

tandum est primo, quæstionē non procedere de generatione increata ad Theologum spectante; nec de illa, quæ sub se creatam, & increatam continet; nam hæc (secundum hanc rationem communem) non cadit sub obiecto Philosophiæ: vt ex se constat: solum ergo procedit quæstio de generatione creata, quę est transmutatio *de non esse simpliciter, ad esse simpliciter*, quia sicut in rerum natura dantur formæ accidentales, quæ tribuunt subiecto *esse secundū quid*; & formæ substantiales, quæ ei tribuunt *esse simpliciter*; ita dantur transmutationes de nō esse secundum quid, ad esse secundum quid, quæ appellantur accidētales trāsmutationes, seu generationes secundum quid; & etiā dantur trāsmutationes de non esse simpliciter, ad esse simpliciter, quæ dicuntur transmutationes substātiales, seu generationes simpliciter. De his præcipuè nostra procedit quęstio, & inquirit sensum, in quo substantialis generatio, est corruptio.

2. Notandum est secundo, quod licet materia ex se sit subiectum omnium formarum substantialiū; tamen ex se non habet potentiam ad plures *simul*, sed ad plures *successiuè*; & ideo quando materia accipit de nouo, per generationem, esse simpliciter sub aliqua forma, tunc necessario amittit esse simpliciter, quod habebat sub forma præexistente; nam materia, quæ erat sub forma ligni, nō valet trāsire ad esse ignis, nisi corrumpatur esse ligni: quia naturaliter saltim, impossibile est materiam existere sub vtraque forma; & ideo generationem ignis semper comitatur corruptio ligni: de his ergo quæ semper reperiuntur simul, inquirimus; an actio ignis generatiua, (nedum sub expressione actionis, seu passionis; sed etiā sub expressione transmutationis) sit simul formaliter, identicè, vel causaliter tantum, ligni corruptio: quod est idem ac inquirere; an motus, in generatione substantiali ignis repertus, qui in omnium ore, constat ex duabus mutationibus, constet (tanquam ex partibus illum constituentibus) ex duabus mutationibus realiter, vel solum per rationem, distinctis.

3. Notandum est tertio, mutationem bifariè accipi primò *actiuè*, pro vera, & reali trāsmutatione, de prædicamento passionis, qua subiectum, quasi disponitur ad termini, vel illius carentiæ receptionem: secundò *passiuè* pro inceptione, seu desitione alicuius formę, seu alicuius esse in subiecto; qua ratione, cum de nouo subiectum accipit relationem, dicitur mutari; quia aliter se habet nunc, quā prius; & similiter cum deperdit relationem, dicitur etiam mutari; quia aliter se habet per non esse relationis, quam antea se habebat. Sed notandum valde est hanc mutationem *passiuam* posse etiam dupliciter vsurpari; primò pro termino in subiecto recepto,

vel

vel pro carẽtia talis termini, quasi in subiecto recepta: secundò pro passione de prædicamento substantiæ, qua subiectum recipit terminum, vel termini carentiam. Vide quæ dicta sunt in Philosophia, lib. 2. disp. 3. q. 1. §. 3. n. 13.

§. II.

Ex notabilibus illata.

4. EX his infero, primò transmutationem generatiuam (sumptam passiuè pro termino, seu pro inceptione formæ substantialis in subiecto) esse realiter distinctam à corruptione: (passiuè etiam sumpta, pro desitione formæ præexistentis) ratio est euidens; nam transmutatio generatiua, & corruptio, (in hac acceptione) non distinguuntur à terminis; sed terminus transmutationis generatiuæ est realiter distinctus à termino corruptionis: (vtiq; quia ille est esse formæ genitę, & iste est non esse formæ præexistentis) ergo & generatio trãsmutatiua (secundum hanc considerationẽ) est realiter distincta à corruptione.

5. Infero secundò, transmutationem generatiuam (secundum hanc acceptionem passiuam) inferre, ex natura rei, in formis substantialibus, seu in composibilibus, corruptionem: constat ex dictis in primo illato; quia in formis substantialibus (de quibus est pręcipualis) seu in formis incompossibilibus, à positione vnius ad priuationem alterius, est legitima consequentia: ergo forma genita, (quæ in hac acceptione idem est ac generatio transmutatiua) infert desitionem præexistentis formæ, seu corruptionem, quod idem etiam est. Sed notandum est, hoc illatum solum esse verum, quando subiectum est affectum, seu informatum forma incompossibili: nã si subiectum est absque forma, cum generanda, incompossibili, tunc ad formam genitam non sequitur corruptio alterius: quare licet error, & scientia, sint formæ incompossibiles in eodem intellectu respectu eiusdem veritatis; tamen ex generatione vnius non sequitur semper corruptio alterius; quia nõ est necessarium alteram formarum illarum habere intellectum.

§. III.

Referuntur sententiæ.

6. PRima sentẽtia affirmat huiusmodi propositionem: *generatio vnius est corruptio alterius*: nõ esse veram *in sensu formali, nec identico*, sed tantum *in sensu causali*; in quantum ex generatione vnius sequitur corruptio alterius: taliter vt à generatione ad corruptionẽ sit in formis substantialibus, (vel in incõposibilibus) legitima consequentia. Hanc tenet Fonseca. 5. Metap. cap. 2. q. 14. sect. 5. Toletus in hoc loco, cum alijs ex recẽtioribus. Parum distat ab hac sentẽtia Magister Curiel. 1. 2. q. 113. du-

dubio 3. per totum: vbi docet infusionem gratiæ, & remissionem peccati, passiuè sumptas, non pro terminis, sed pro actione passiuè accepta, quatenus ad passionis spectat prædicamentum, esse duas mutationes realiter distinctas.

7. Secunda sententia docet, huiusmodi propositionem esse verã identicè: nam licet generatio, & corruptio formaliter per rationẽ distinguantur; tamen realiter non distinguuntur; quia eadem transmutatio, si comparetur ad terminum primarium, (videlicet, ad esse rei genitæ) dicitur, & est generatio; si vero comparetur ad terminum secundarium, (scilicet, ad non esse rei corruptæ, quod ex natura sua consequitur esse rei genitę) dicitur, & est corruptio. Hanc sequitur Caietanus, 1.2. q. 113. ar. 2. Magister Bañez in hoc loco, estque communis inter Thomistas. In huius gratiam, sit.

§. IV.

Conclusio.

8. SI generatio vnius formę, & corruptio alterius accipiãtur physicè, pro reali mutatione de prædicamento passionis, non sunt duæ mutationes realiter distinctæ, sed vna, quatenus per ordinem ad terminum primarium dicitur generatio, & per ordinem ad secundarium dicitur corruptio.

Probatur primo nostra assertio ex Angelico Magistro, 1.2. q. 113. art. 6. ad 2. vbi sic loquitur: *ad secundum dicendum, quod gratiæ infusio, & remissio culpæ dupliciter considerari possunt; vno modo secũdum ipsam substantiam actus, & sic idẽ sunt: eodem enim actu Deus elargitur gratiam, & remittit culpam. Alio modo possunt considerari ex parte obiectorũ, & sic differunt secundum differentiam culpæ, quæ tollitur & gratiæ, quæ infunditur, sicut etiam in rebus naturalibus, generatio, & corruptio differunt; quamuis generatio vnius sit corruptio alterius*: ergo ex mente Diui Thomæ generatio, prout à suo termino condistincta, non distinguitur realiter à corruptione.

9. Nec valet dicere cum Magistro Curiele (loco supra citato) ad argumenta pro Caietani sententia, Diuum Thomam loqui de his motibus, prout exercent munus actionis, (in qua acceptione libenter fateor generationem esse idem realiter cum corruptione) non vero loqui de his motib^s, prout exercent munus passionis, seu mutationis. Non (inquam) valet: nam vt constat ex dictis in 1. p. Philosophiæ, lib. 3. disp. 1. q. 2. per totã, passio, seu mutatio, non est ab actione realiter distincta: ergo vbi realiter est vna sola actio, non potest esse duplex realiter passio, seu mutatio. Vide ibi primam rationem nostræ assertionis.

10. Etsi dicas cum eodem Magistro, non esse inconueniens vni actioni respondere duas passiones realiter distinctas, quando vna earum consequitur ad aliam; quia in tali

cali casu actio non identificatur cum vtraque passione, sed cum primaria; cum secundariam respiciat, vt effectum, seu vt aliquid primariæ. ¶ Contra est primo: nam si secunda passio non identificatur cum secundaria passione: ergo secunda passio non est *ab*: ergo non est passio: cum passio sit *in ab*: vt constat ex Philosopho. lib. 3. Philosophiæ, cap. 2. ¶ Cõtra est secundo: omnis passio creata est ab agente: ergo est actio; cum actio sit motus ab alio: ergo implicatorium est, quod secunda passio, à Curiele præsignata, non sit identicè actio.

11. Secundò probatur ratione, nostra assertio. Nalla passio, seu mutatio, valet per se terminari ad non esse rei: cum nulla passio, seu mutatio valeat per se tendere in malum: ergo corruptio physicè non est à generatione realiter distincta: ni dicas dari in rerum natura transmutationem, quæ per se primò respiciat malum, seu nõ esse formæ præexistentis.

12. Dices, antecedens esse verum de transmutatione positiua; non tamen de negatiua, qualis est corruptio; nam hæc extendit in non esse, seu in carentiam rei corruptæ: vtique quia si aliquis corruptionem velit definire, dicet; esse mutationem subiecti à positiuo in priuatiuum, tãquam in terminum ad quem suæ tendentiæ.

¶ Contra tamen est: nam cum dicis corruptionem esse transmutationem negatiuam; vel intelligis corruptionem esse negatiuũ quid conceptum ad instar tendentię, & transmutationis positiuæ, quamuis realiter, & verè non sit transitus, seu mutatio, (sicut priuationem concipimus ad instar formæ positiuæ, etiam si realiter non sit forma) vel appellas corruptionem trãsmutationem negatiuam; quia terminatur ad non esse, & negationem, tanquam ad terminum; quamuis intrinsecè, & secundum se sit quid positiuum: si hoc secundum dicas: reddit argumentum; quia impossibile est tendentiam positiuam per se primo terminari ad negationem, seu ad malũ; quod idem est. Si primum dicas; inquiro primò; quid negat hoc negatiuum, quod concipitur ad modum transmutationis positiuæ; quia implicat esse negationẽ in rerum natura, & quod non sit alicuius positiui negatio. Inquiro secundo: an corruptio, ad modum trãsmutationis positiuæ concepta, sit negatio formæ, & compositi corrupti? & hoc non: quia huiusmodi carentia habet rationem termini *ad quem*; vel est negatio generationis rei corruptæ; & hoc non: quia hæc negatio datur in rerum natura ante corruptionem: cum compositum in facto esse, & in statu perfecto permanebat: ergo absolutè dicendum est corruptionẽ, & transitum ad non esse, esse in rerum natura aliquid positiuũ, quod per se primò respicit compositum genitum, & secundario, & consequenter, non esse rei corruptæ.

13. Tertio probatur conclusio. Esse rei genitæ, & non esse rei corruptæ, comparantur ad subiectum transmutabile, vt terminus primarius, & secundarius suæ transmutationis; vtique quia appetitus, & potentia subiecti per se primo solum respicit bonum: ergo per eandem transmutationem acquirit huiusmodi terminos: nam nõ possumus intelligere rationes termini primarij, & secundarij, nisi in quantum, ordine quodam, eadem mutatio vtrumque attingit. Confirmatur hæc ratio. Mobile per eãdem mutationem acquirit formã, & effectus formales talis formę; sed non esse rei corruptæ est effectus formalis secundarius formæ dantis esse rei genitæ: ergo eadem est transmutatio mobilis ad huiusmodi effectus formales per se ordinatos. Minor probatur: nam forma, quæ constituit ignem in esse ignis, constituit illum sub non esse ligni: cum ad esse ignis consequatur non esse ligni: ergo non esse rei corruptæ est effectus secundarius formæ genitæ.

§. V.

Primæ sententiæ argumenta.

14. ARguiur primo. Terminus formalis generationis distinguitur realiter à termino formali corruptionis: vtique quia terminus *ad quem* generationis est esse rei genitæ, & termin' *ad quem* corruptionis est non esse rei corruptæ: ergo & generatio realiter distinguitur à corruptione; cum specificatio transmutationis debeat ex terminis accipi. Hoc argumẽtum valet retorqueri: nam (in opinione contrariorum) generatio, & corruptio, vt sunt actiones, realiter non distinguuntur; & tamen termini harum sunt realiter distincti: ergo ex distinctione realiter terminorum non recte colligitur realis distinctio mutationum. ¶ Respondetur ergo distinguendo antecedens: terminus generationis, & corruptionis, realiter distinguitur per modum termini primarij, & secundarij, seu per modum termini subordinati, concedo antecedẽs; per modum termini primarij, & non connexi, nego antecedens, & consequentiam: nam distinctio realis mutationum, sicut & actionum, nõ debet accipi ex termino secundario, sed ex primario, qui realiter idem est in his mutationibus.

15. Dices. Generatio, & corruptio nõ sunt termini prorsus synonimi, nec alter significat expressè, quod alius confusè; imò cum concipimus generationẽ formaliter, non concipimus corruptionẽ: ergo generatio, & corruptio realiter distinguuntur. ¶ Respondetur concedendo antecedens: & negãdo consequentiam: nam ex antecedenti solum sequitur distinctio rationis ratiocinatæ, sumpta ex ordine ad terminos, sufficiens vt producti termini non sint synonimi: nam eadem mutatio, in quantum

tum connotat terminum primarium, appellatur generatio; & in quantum connotat secundarium, dicitur corruptio.

16. Secundo. Generatio substantialis valet esse sine corruptione: ergo generatio, & corruptio realiter distinguuntur. Antecedēs constat à simili in generationibus secundum quid: nam aliqua accidentia generantur, & producūtur nulla interueniente corruptione in subiecto: vt cum aër illuminatur, & species oculo imprimitur: ergo generatio substantialis optimè valet esse sine corruptione: nā sicut se habet generatio secūdum quid ad corruptionem secundum quid; ita se habet generatio simpliciter ad corruptionem simpliciter. ¶ Primò respondent aliqui ex Thomistis concedendo hoc in generationibus accidentalibus, quantum ad terminum connotatum; non verò quantum ad rectū trāsmutationis: nam generatio, & corruptio physica ex parte viæ est inseparabilis; licet ex parte terminorum valeāt realiter separari; estque manifestum exemplum in motu localī hominis, & albedinis existentis in homine; nam licet possit separari, & deficere motus albedinis, non deficiente motu hominis; tanē quia motus albedinis solum deficit quantum ad extrinsecum, cui peraccidens conuenit, & non quantum ad intrinsecum, quod essentialiter includit, ideo non sequitur motum albedinis distingui realiter à motu hominis: quia ab eodem motu mouetur homo per se, & peraccidens albedo existens in homine. Idemque est dicendum de productione essentiæ, & proprietatum; cum productio essentiæ separatur à productione proprietatum. ¶ Secundo, & melius respondetur, quæstionem nō procedere, nisi de generatione, & corruptione simpliciter, vel de secūdum quid, quando versantur inter formas accidentales incompossibiles; vbi semper corruptio vnius sequitur ad generationē alterius. Est tamen aduertendum, cum dicimus generationē vnius esse corruptionem alterius; *vnum, & alterum* non accipi *ita strictè*; vt ad corruptionem vnius; vnum tantum sit etiam quod generatur; aut è conuerso; sed solum quod subiectum cum per se tendit, seu trāsmutatur de non esse ad esse, consequēter etiam trasmutatur de esse ad non esse; siue non esse sit vnum, vel plura: vt cum mixtum generatur ex elementis, aut resoluitur in elementa.

§. VI.

Interrogantur aliqua pro complemento quæstionis.

17. INquires primo: an corruptio physica (in accidentibus saltim (possit diuinitus reperiri sine termino generationis? vel an per potentiam Dei absolutam possit subiectum reali transmutatione tendere ab esse ad non esse; etiam

etiam si per se primo non tedat ad esse? ¶ Respondeo negatiuè: quia impossibile est viam, & tendẽ etiam per se primo terminari per non esse; sicut impossibile est actum visionis per se primo terminari per non visibile: quia tendentia nõ solum respicit essentialiter terminũ, sed terminum bonum, & positiuũ; *quia nemo tendens valet in malum operari.*

18. Inquires secundo: an realis reperiatur ordo inter terminos generationis, & corruptionis; taliter, vt vnus à parte rei sit duratione prior altero? ¶ Respondeo negatiue: quia materia nõ potest pro aliquo instanti temporis duplici informari forma, nec esse in pura potentia, seu ab omni destituta forma; quod accideret, si ex terminis generationis, & corruptionis, aliquis duratione præcederet: vtique quia si introductio formæ *ignis v.g.* duratione præcedit expulsionem formæ ligni, in illa duratione, quæ expulsionem antecedit, materia vtramque possideret formam, scilicet formam ignis, iam introductam, & ligni formam, nõ dum expulsam; licet statim expellendam: & si è conuerso expulsio formę ligni pręcederet duratione introductionem formæ ignis, materia in tali duratione esset in pura potẽtia, & absque omni forma: quia non possideret formam ligni: cum ex tali suppositione eam expellat per non esse illius in subiecto; & etiam esset sine forma ignis: quia non dum esset introducta; licet statim introducenda: ergo ne talis sequela admittatur, tenendum est, inter terminos generationis, & corruptionis non esse realem aliquem durationis ordinem.

19. Nihilominus tamen possumus admittere à parte rei *ordinem naturæ*, inter huiusmodi terminos: nam ex his terminis vnus dicitur *primarius*, & alius *secundarius*: vtiq; quia introductio formæ genitę est causa formalis expulsionis formæ corruptæ: ac per consequens per se primo constituit genitum in esse, & secundario causat non esse corrupti; sed talis connexio (vt ex se constat) aliquem indicat ordinem: *non durationis*: (vt probatum est) *ergo naturæ.*

20. Sed contra est: quia ex hoc sequitur materiam, pro illo priori naturæ, habere simul plures formas; quod est falsum: ergo & quod prioritate naturæ generationis terminus præcedat corruptionis terminum. Sequela probatur: nam si introductio formæ genitæ est causa expulsionis formæ, corruptæ prius est formam geniti introduci in materia, quem expelli formam corrupti: ergo materia, secundum illam prioritatem duplicem habet formam: vtique quia secundum illam prioritatem est in materia forma geniti, & forma corrupti non dum est expulsa. Aliqui huic obiectioni libenter concedunt sequelam, asserentes materiam posse pro eodem priori naturæ pluribus informari formis substan-

ſtantialibus. Nihilominus hac omiſſa ſolutione reſpondetur negando ſequelam: & ad probationem dicimus fieri trãſitum à prioritate *à quo*, ſeu naturæ ad prioritatem *in quo*, ſeu durationis: nam licet introductio formæ ſit prior *prioritate naturæ* expulſione alterius formæ; tamen non eſt verum dicere, quod pro illo priori non dum eſt altera forma expulſa.

21. Dices. Intellectus ratione prioritatis naturæ poteſt intelligere introductionem formæ geniti *ante* expulſionem formæ corrupti: ergo concipit formam geniti in ſubiecto; quando non eſt expulſa forma corrupti: ergo in illo priori naturæ materia eſt ſub vtraque forma. ¶ Reſpondetur iuxta dicta; quod in illa particula *ante* datur non parua æquiuocatio: quia talis particula vel ſe tenet ex parte cognitionis; ita vt intellectus prius cognoſcat introductionem formæ geniti, quam expulſionem formæ corrupti; & tunc in replica fit tranſitus *ab antecedentia cognitionis ad antecedentiam rei cognitæ*, & committitur *æquinocationis fallacia*. Vel ſe tenet ex parte rei cognitæ; & tunc etiam fit tranſitus à *prioritate naturæ ad prioritatem durationis*: quia licet intellectus cognoſcat introductionem formæ, vt priorem expulſione alterius; tamen non recte colligitur materiã eſſe ſub vtraque forma: quia prioritas illa nõ eſt temporis, ſicut explicatur per particulam *ante*. Ex his ſequitur ratio, quare in nullo priori debemus concedere formã corrupti eſſe ſimul cum forma geniti; quia forma corrupti deſinit eſſe in eodem inſtanti, in quo incipit forma geniti; ita vt eſſe formæ geniti ſit non eſſe formæ corrupti. Vide quæ dicta ſunt 1. p. Philoſophiæ, lib. 6. diſp. 2. q. vnica per totam.

22. Inquires tertio: an terminus corruptionis antecedat, ſaltim in genere cauſæ materialis, generationis terminum? ¶ Reſpondetur negatiuè; quia non eſſe corrupti non eſt cauſa eſſe geniti, ſed tantum eſt quid conſecutum ad eſſe geniti: & ratio eſt: quia prioritate naturæ non requiritur in ſubiecto carentia vnius formæ, vt alia introducatur; etiam ſi ex neceſsitate naturæ ad introductionẽ vnius ſequatur expulſio, & carentia alterius. Vnde licet forma recipiatur in materia pro illo priori omni forma deſtituta, carentia omnium formarum non eſt aliquid prærequiſitum per modum cauſæ, ſed aliquid conſequtum per modum effectus ad vnius formæ introductionem.

QVÆSTIO III.

An in generatione ſubſtantiali fiat reſolutio vſque ad materiam primam.

§. I.

Notabilia præmittuntur pro quæſtionis intelligentia.

1. Pro quæſtionis luce primò eſt no-

notandum entitatem aliquam *corrumpi, per se, & per accidens*: tunc corrumpitur per se, quando non corrumpitur ad corruptionem alterius; sed corrumpitur, vel quia ex natura sua statim deficit, vel quia deficit ad productionem seu generationem alterius entitatis incompossibilis cum illa in eodem subiecto: dicitur autem *per se corrumpi*, non quia natura per se intẽdat corruptionem illius, (quia hoc est impossibile vt dictum est quæstione præcedenti) sed quia nõ corrumpitur ad corruptionem alterius: nam inter corruptiones illa dicitur *primaria*, quæ aliqualiter est causa alterius, & quod primarium est in aliquo genere, comparatione ad secundarium, perfectatem, aliquomodo participat: tunc vero *corrumpitur per accidens*, quando corrumpitur ad corruptionem alterius, à quo dependebat; vt *calor* corrumpitur ad corruptionem animalis, à quo dependebat; nam corrupto animali, impossibile est calorem permanere.

2. Secundò est notandum; quod fieri resolutionem, in generatione substantiali, vsque ad materiam primam, idem est, quod materiam primam, in instanti generationis, nullam formam habere (substantialem aut accidentalem) ex formis quas habuit in corrupto; quia si ad positionem, & introductionẽ formæ geniti, sequitur expulsio, seu corruptio formę corrupti; & similiter si ad positionem, & introductionem formarum, accidentalium, sequitur etiam expulsio formarum accidentalium, quæ erant in corrupto, fieret absque dubio omnimoda resolutio vsque ad materiam primam; quia ex his quæ præcesserunt in corrupta, sola materia prima remaneret in genito, tanquam subiectum commune formæ genitæ, & corruptæ.

3. Tertio est notandum, quæstionem non procedere *de potentia Dei absoluta*, sed solum *de lege ordinaria*; quamuis aliqui partem affirmatiuam, vt diuinitus repugnantem reijciant.

§. II.

Referuntur sententiæ.

4. PRima sententia, inter Doctores societatis valde celebris, defendit, in generatione substantiali nõ fieri resolutionem vsque ad materiam primam; sed omnia accidẽtia, quæ erant in corrupto, manere in genito; quando naturæ geniti non repugnant; aut quando ab illa non dependent: sicut proprietates, quia certum est (apud omnes) proprietates corrumpi peraccidens ad essentiæ corruptionem. Pro hac stat Commẽtator in lib. de substantia orbis, & 2. Physic. commento 63. vbi docet, quantitatem esse materiæ coæuam, & nunquam ab illa separari, sed inuariabiliter permanere, etiam si, quantum ad determinationẽ, variationem accipiat. Pro eaq; etiam stãt simplicius 1. Physic.

sic. text, 69. Gregor. in 2. dist. 12. q. 2. ar. 2. Aureolus apud Capræolum distin. 13. q. 1. in argumentis contra 5. conclusionem. Suarez, cum sua schola, dispu. 14. Metap. sect. 3. vbi hanc sentẽtiam vt probabiliorem eligit.

5. Secunda docet, in generatione substantiali fieri resolutionem vsque ad materiam primam; ita vt nullum accidens corrupti trãseat ad genitum. Est Diui Thomæ. 1. p. q. 76. a. 6. & pluribus alijs in locis. Durandi, in 1. dist. 8. q. 4. Capræoli, in 2. dist. 13. q. 1. Ferrariæ, 4. contra Gentes, cap. 81. q. 2. & 3. Soti. 1. Physic. q. 7. estque valde plausibilis inter Thomistas.

§. III.

Conclusio.

6. IN generatione substantiali fit resolutio vsque ad materiam primam; taliter, vt in genito nulla forma, quæ præcesserit, maneat, sed solum subiectum primum, quod est formarum substantialium potentia. Constat primò ex Philosopho in præsenti, text. 23. vbi ait *generationem esse mutationem huius totius in hoc totum, nullo sensibili manente.* Ergo ex mente Philosophi omne *accidens sensibile*, seu materiale, desinit esse ad totius compositi corruptionem. Et quod ly *nullo sensibili manente* non debeat intelligi *de composito substantiali*, vt existimat Suarez, constat primò, quia substantia corporea, ex se non est sensibilis, nisi ratione accidentium: ergo si hęc in materia remanerent, post totius corruptionem, iam aliquid, imò omne sensibile, perseueraret. Secundò, quia corruptio compositi est in primis verbis definitionis à Philosopho explicata, ergo superflue in vltimis definitionis iterum corruptionem totius explicaret.

7. Constat etiam nostra conclusio ex Diuo Thoma in præsenti lect. 10. vbi ait *dicendum ergo, quod non manet idem numero accidens in corrupto, & in genito; sed id, quod prius erat, corrumpitur per accidens corruptione subiecti, recedente forma, & postea aduenit simile accidens consequẽs formam de nouo aduenientem.* Quid expræssius, quid clarius, pro nostra assertione?

8. Sed vt ratione constet suppono primo, ex Doctrina Diui Thomæ & omnium Thomistarum (vt constabit ex dicendis infra. q. sequenti per totam.) quantitatem, & omnia accidentia materialia, individuari à subiecto, in quo recipiuntur.

9. Secundo, quantitatem, & omnia accidentia, naturaliter saltim corrumpi, ad subiecti individuantis corruptionẽ. Hoc suppositum vt certum admittitur ab Auctoribus primæ sententiæ; tum quia eadem numero accidẽtia nequeũt à duplici subiecto individuari, tum quia naturaliter nequeunt migrare de subiecto in subiectum: (vt melior docet Philosophia) tum quia, vt accidentia panis consecrati

crati non corrumpantur, ad corruptionem substantiæ panis conuersę, est potentia Dei absoluta necessaria.

10. Nec valet dicere, cum recentioribus secundæ sententiæ, quod naturaliter quãtitas, & omnia accidẽtia cum illa, possunt migrare ad aliud subiectum eiusdem rationis, quod æquiualenter sit idem; vtique quia idem numero effectus potest à diuersis causis secundis eiusdem rationis cõseruari: vt cõstat *in luce* producta à Lucerna, quæ potest à Sole, vel ab alia causa secunda, æquiualenter tali, conseruari; & in materia prima, quæ licet existat, per existentiam formæ, tamen, si, vice ipsius, subrogatur alia, existit de facto absque illa. Non (inquam) valet; tum quia hæc accidentia conseruata à substantia geniti, vel indiuiduantur à genito, in quo sunt, vel à corrupto in quo fuerunt: non primum, quia *quantitas v.g.* quæ, in tali casu esset in genito, non esset geniti, sed corrupti; sicut quantitas panis, quæ est in Sacramento Altaris, non est Corporis Christi, sed panis conuersi. Si dicas secundum; ergo talis quantitas non est geniti, cum sit à substantia corruti indiuidnata. Ex quo sequitur, quod genitum non habeat quantitatem propriam sui ipsius. Ni velis ei duplicem concedere quantitatem. Tum ad hominem; nam, iuxta hanc solutionem, calor, qui remanet in cadauere producto, nõ erit idem numero cum illo, qui arat in homine corrupto; quia cadauer secundum nullum gradum exposcit calorem, cum nõ sit eiusdem rationis cum corrupto, vt ei æquiualeat: Tum quia licet quantitas vt sic, possit à quolibet composito substantiali corporeo conseruari, tamen, hæc quantitas, ita essentialiter dependet ab hoc cõposito, vt naturaliter (saltem) non possit ab alio conseruari: sicut nec hæc resibilitas potest nisi ab hac rationalitate conseruari. Tum denique, quia hæc solutio quid nouum, & difficilimum supponit, scilicet essentiam succedentem, videlicet geniti, conseruare proprietates, & passiones essentiæ præcedentis, scilicet corrupti, quæ dimanabant ab illa, secundum gradus superiores, & cõmunes; quia, iuxta hanc sententiam, cum vermis generatur ex aliqua substantia viuente, eandem haberet potentiam nutritiuam, imo & sensitiuam, quia huiusmodi potentiæ communes sunt vermi genito, & animali corrupto, ex quo producitur; imo propter eandem rationem possemus dicere, eundem actum vitalem sensationis, & tact', esse communem vtrique; quia si manet eadem potentia, & ex suppositione, immediate ante generationem esset in actu & exercitio, possemus dicere, manere etiam eũdem actum, & exercitium: nam essentia geniti, sicut per modum potentiæ radicalis valet conseruare sensitiuam passionẽ, ita etiã per modum potentiæ radicalis, simul

mul cum potentia formali, poterit conseruare eundem actum sensationis, quod nihil difficilius. Nec exempla adducta aliquid conuincunt; tum quia idem numero effectus solum à Deo potest conseruari. Tum quia naturaliter non valet intelligi, quod distincta essentia alienã conseruet, quantitatẽ, cum amissione propriæ: vnde, lux producta ab aliquo agẽte secũdo, nequit naturaliter ab alio, nec produci, nec conseruari: ratio autẽ quare eadem numero materia, (saltim negatiuè) potest sub diuersis formis existere, est, quia materia ad existendum non depẽdet à determinata forma, cum sit omniũ formarum primum subiectum, & sic sub qualibet valet existere; at vero *hæc quantitas*, essentialiter depẽdet *ab hac essentia*; & ideo naturaliter non valet ad aliam migrare.

11. Replicabis. Accidentia *specificè extranea*, possunt recipi in substantia aliena: ergo *& indiuidualiter extranea*. Antecedens probatur; calor est aquæ specificè extraneus, & tamen de facto valet recipi in aqua: ergo & accidentia indiuidualiter extranea valet recipi in subiecto extraneo. Vt respondeas nota, accidentia accipere *specificam vnitatem* ab actione, vel à termino extrinsecè inspecto; vt videre est *in calore*, à calefactione specificato; & in *potentia visiua*, à visione, & colore etiam, specificata; at vero *vnitatem indiuidualem* solum accipiunt à subiecto in quo recipiuntur; ita vt ratione vnitatis indiuidualis accidens proportionetur subiecto vt in illo recipiatur. Quo supposito respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam: nam accidens solum exposcit subiectum ad vnitatem indiuidualem, & ideo solum ratione huius debet cum illo proportionari; non aliter ac obiectum potentiæ visiuæ solum petit proportionari cum potentia, secundum rationem formalem, ad illam formaliter in esse obiecti spectantem, & non secundum rationem materialem ad illam materialiter, & in esse rei, tantum pertinentem; etiam si hæc sub ratione formali attingatur à potentia: sic, vt ratio specifica accidentalis recipiatur in subiecto extraneo, non est opus, quod secundum rationem specificam habeat proportionem cum illo, sed solum quod habeat proportionem cum vnitate indiuiduali, ratione cuius, vnitas specifica de materiali in subiecto recipitur. Quod verò calor receptus in aqua habeat proportionem secundum vnitatem numericam cum aqua, in qua recipitur, constat ex eo quod hãc vnitatem accipit ab aqua in qua est.

12. Non quiescES: quod de formali se habet in accidenti est vnitas specifica: ergo malè asserimus vnitatem indiuidualẽ esse in accidenti rationem formalem recipiendi. ¶ Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam: nam licet (absolutè loquendo) vnitas specifica sit id, quod de

 for-

formali se habet in accidenti, tamen, in ordine ad receptionem, de materiali se habet; cum ratione vnitatis materialis spectet accidens ad subiectum, in quo recipitur. Non aliter ac licet albedo per accidens se habeat ad hominis cõstitutionem, tamen, ad disgregationem visus, per se, & essentialiter se habet.

13. Denique instabis: accidens secundum rationem specificam, est entis ens: ergo adhuc secundũ specificã, respicit per se, & nõ ratione vnitatis materialis, subiectũ. Respondetur distinguẽdo antecedẽs; accidens, secundum rationẽ specificam, est entis ens, *transcendẽtaliter*, concedo antecedẽs; *formaliter*, nego antecedens, & consequentiã: nam licet ratio specifica accidẽtis *transcendentaliter* sit ens in alio, tamen *formaliter* non exprimit talem rationem, & sic vnitas formalis, seu specifica, ratione vnitatis materialis, seu indiuidualis, quærit subiectum a quo indiuiduetur.

14. His suppositis sic probo cõclusionem. Hæc numero quãtitas, (idemquè est dicẽdum de alijs accidentibus materialibus, ratione quantitatis in substãtia receptis) subiectatur in toto composito, & non in materia nuda: ergo ad corruptionẽ huius cõpositi debet hęc numero quantitas corrumpi: ergo hæc non transit ad genitum. Hæc cõstat ex prima; prima est à cõtrarijs primę sentẽtiæ admissa, & cõstat ex notabilibus. Antecẽs probatur: quantitas est proprietas dimanans à gradu corporis: sed proprietates, (iuxta cõmunẽ Philosophorum consensum) dimanãt, & recipiuntur in essentia; cuius sunt proprietates; (vt videre licet in risibilitate, quæ dimanat, & subiectatur in homine, cuius est proprietas) ergo quantitas subiectatur in toto cõposito, & non in materia nuda. Maior probatur primò; nam corpori, ratione formæ, à qua formaliter cõstituitur in esse corporis, aliqua debetur proprietas; (cum nõ sit maior ratio, propter quã, conpesito secũdum alios gradus debeãtur proprietates ratione formæ, & non secũdum gradum communem corporis) sed nõ potest asignari alia, prater quantitatẽ: ergo hæc dimanat à corpore. Probatur secundo eadẽ maior: proprietates, iuxta aduersarium sentẽtiam (vt vidimus. 2. Physic. disp. 4. quæst. unc. appendix. §. 16. num. 64.) dimanant ab essentia, per verum & rigorosum influxum; sed talis influxus repugnat materiæ nudæ; cum sit expers totius actiuitatis: ergo quantitas non à materia nudè sumpta; sed ab illa, vt forma corporis informata dimanat. Tertio, quia (admisso & non concesso) quod quantitas sit proprietas dimanans, & conueniens, composito, ratione materiæ, adhuc non seqnitur, quod debeat recipi in materia; nam potẽtia generatiua, (in omnium opinione) est proprietas dimanans, & cõueniens composito ratione formæ; & tamen non recipitur immedia-

mediatè in forma, sed in toto cõposito: ergo ex eo quod quantitas dimanet à toto composito, ratione materiæ, non sequitur quod debeat in illa recipi. Quarto nam si quantitas esset immediatè in materia recepta, forma substantialis aduenirет materiæ in actu, & sic ex illa, & ex materia, non fieret vnum *per se perfeitate substantiali*, sed solum accidentali. Ergo quantitas non subiectatur in materia. Quinto constat eadem maior ex Diuo Thoma vbi supra; & quæst. 77. art. 6. 7. & 8. & ex dictis in Philosophia, lib. 1. disp. 3. quæs. 3. §. 3. n. 8. nam materia prima est potentia per se primo respiciens formam substãtialem, per modum actus primarij, & per se secundò accidentalem, per modum actus secundarij: tum quia per se primò debet respicere id, quod ei tribuit esse simpliciter, & non id quod ei solum tribuit esse secundum quid. Tum quia esse secundum quid essentialiter dependet ab esse simpliciter: ergo quantitas, quæ materiæ tribuit esse secundum quid, supponit formam substantialem, ei esse simpliciter tribuentem.

15. Nec solutio aliquorum asserentium formam substantialem esse actum primarium in intentione, & non in executione, (vbi est vltimum, quod fuit in intentione primum) habet aliquam efficatiã: nam ex eo forma substantialis est primariò inspecta in intentione, quia in tali ordine dat esse simpliciter: sed in executione etiam dat esse simpliciter: ergo propter eandem rationẽ debet esse in executione primario inspecta. Nec proloquium tenet in præsenti: nam hoc solum est verum, quando id quod est vltimum in intẽtione, est medium ad id, quod erat in intentione primum; non vero quando è conuerso accidit, (vt in presenti) aliàs prius materia reciperet in executione risibilitatem, intellectum, & voluntatem, quam animam rationalem, in intentione priorem, quod ridiculum est.

16. Dices: in materia prima in executionis ordine, prius subiectatur actus secundum quid, quam simpliciter dictus. Vt cõstat in relatione prædicamentali effectus creati ad Creatorẽ, quæ nõ valet subiectari in toto cõposito genito: & etiã in actione generatiua quæ, vt cõstat ex dictis lib. 3. q. 3. §. 3. n. 8. immediatè inhæret in primo subiecto: ergo ex eo, quod quantitas sit actus tribuẽs esse secundum quid, nõ sequitur, quod immediatè nõ valeat in materia nuda subiectari. ¶ Respõdeturprimò negãdo antecedẽs. Ad primã Instãtiã dico, in materia prima non dari, relationẽ prędicamentalẽ à materia distinctam, sed solum trãscendentalẽ ab ipsa in distinctam propter subiecti incapacitatem. Non aliter ac licet omnis scientia respiciat proprium obiectum, relatione transcendentali & prædicamẽtali, tamẽ Logica, quæ pro obiecto habet ens rationis, sola relatione trãscẽdentali illud respicit propter obiecti incapacitatẽ,

Secundò respondetur, negando etiam antecedens; nā talis relatio immediatè nō subiectatur in materia, sed in toto composito; etiam si illā, & non illud, denominet formaliter creatam; nam eadē relatio, vt est immediatè in cōposito genito, denominat illud formaliter genitū; & vt mediatè est in materia prima denominat illam, & non illud, formaliter creatā: non aliter, ac in nostra opinione, eadē actio Dei, in ordine ad formam materialem est eductio, & in ordine ad materiam est creatio. Iuxta hanc solutionē respondetur ad aliam instantiam, sumptam ex relationibus similitudinis, & dissimilitudinis, materiā denominātibus similem vel dissimilem; nam hæ licet immediatè sub ratione accidentis efficiant totum compositum, tamen sub ratione specifica & formali similitudinis, & dissimilitudinis solum denominant & afficiunt materiā capacem horum effectuum, etiam si tantum mediatè sint in illa. Potest tamē (& non incongruè) dici, relationes has, sub ratione specifica, esse immediatè in materia; quia medietas compositi solum de materiali se habet ad has denominationes. Ad secundā instantiam dico generationem recipi in materia nuda, cum termino ipsius; tum quia generatio, cum sit via, & quasi medium formæ substantialis, debet recipi in subiecto, in quo terminus ipsius recipitur. Tum quia medium posteriusin intentione est prius in executione. Tum quia via non ponit in numero cum termino, sed ex illa, & ex illo, fit vnus dumtaxat. (vt sæpe sepius dixi ex Sancto Doctore) Tum denique quia in instanti generationis, primum esse formæ, est vltimum non esse generationis; quod in alijs formis accidentalibus non vialibus non reperitur.

§. IV.

Primum fundamentum oppositæ sententiæ.

17. PRimum sic procedit. Quātitas in homine immediatè recipitur in materia prima: ergo & in alijs cōpositis: ergo ex eo quod contrum patur compontum, ratione formæ, non sequitur quod destruatur subiectum accidentis materialis. Antecedēs probatur quia in homine solum dantur entitates partiales materiæ primę, & animę rationalis; sed in hac nō recipitur, cum ei non tribuat extensionē: ergo in illa. Huic argumento respōdent Thomistæ, quantitatem immediatè & *vt quod* subiectari in homine, cui tribuit effectum; & mediatè & *vt quo* in materia etiā si ei nō tribuat effectum: non aliter ac intellectus est *vt quo* in materia absque eo quod ei tribuat effectum.

18. Sed contra est: quia effectus formæ (secundum Philosophum & veritatem) est forma subiecto cōmunicata: ergo implicatorium est, quod quantitas sit mediatè & *vt quo* animæ cōmunicata & quod ei

ei non præstet effectum in communicatione formæ formaliter constituentem. Quare ad argumentum respondetur negando antecedēs. Ad probationem distinguo maiorem; in homine solum sunt entitates partiales materiæ & animæ rationalis, *seorsum sumptæ*, nego maiorem *copulatim* sumptæ, concedo maiorem: & distinguo minorem, in anima non recipitur quantitas *vt quod*, concedo minorem, *vt quo*; iterum sub distinguo minorem; *vt quo formaliter*, concedo minorem, *vt quo materialiter*, nego minorem: & distinguo consequens, in materia recipitur quantitas *vt quod*, nego consequentiam, *vt quo*; iterum sub distinguo, *vt quo formaliter*, cōcedo consequentiam, *vt quo materialiter*, nego consequentiam: nam composito, ex parte spirituali, & materiali coalescenti, & partibus, diuersimodè adueniunt accidentia; quia quātitas.v.g. *vt quod formaliter* aduenit homini, quia illum denominat; animæ verò *vt quo materialiter*, quia est ratio constitutiua compositi denominati, absque eo quod denominationē accipiat; materię autē *vt quo formaliter*, quia non solum est ratio constitutiua compositi denominati, sed simul est à quantitate denominata. Explicatur hoc in intellectu & volūtate, quæ adueniūt homini *vt quod formaliter*, quia illum denomināt; animæ vero *vt quo*, *etiam formaliter*, quia non solum est ratio constitutiua compositi denominati, sed etiam est ab illis denominata: materiæ autem solam *vt quo materialiter*, quia non est ab illis denominata; quamuis sit ratio constitutiua compositi denominati. Et quod denominationes aliquando conueniant composito, & non partibus, constat in homine, qui corruptibilis denominatur, absque eo quod partes corruptibiles denominentur. Nota tamen discriuen, quod versatur inter quantitatem, & intellectum, ad has denominationes: nam *quantitas* (idemque dicendum est de alijs accidentibus materialibus) conuenit *vt quo & mediatè* materiæ; composito vero *vt quod & immediatè*: at vero intellectus conuenit *vt quod mediatè* cōposito, & *vt quo* & *immediatè* formæ. Ratio huius est, quia *accidentia spiritualia* conueniunt composito ratione animę, & ideo ei separatæ conueniunt; at vero *materialia* conueniunt materiæ, ratione compositi, & ideo deficiūt ad corruptionem compositi in quo sunt.

19. Dices: secundum Philosophum, *quantitas sequitur materiam, sicut qualitas materialis formam*: sed in illa subiectatur quātitas immediatè: ergo & in ista qualitas immediatè. ¶ Respondetur, Philosophum asserere quantitatem sequi ad materiam, esse que coæuam, & proprietatem ipsius; non quia dimanet, & recipiatur *vt quod*, & immediatè in illa; sed quia assimilatur ei in receptione; sicut qualitas materialis assimilatur formæ in actiuitate, etiam si hæc immediate, & *vt quod* non dimanet, nec reci-

recipiatur in forma, sed in toto composito. ¶ Adde, quantitatē sequi materiam, etiam si recipiatur in toto composito immediate, quia recipitur in illo ratione materiæ, quæ est prima radix receptionis; sicut qualitates materiales sequuntur formam, etiam si recipiantur immediate in toto cōposito, quia in illo recipiuntur ratione formæ, quæ est prima radix actiuitatis.

20. Replicabis; inter agens & passum requiritur approximatio, nedum antecedenter ad instans generationis, sed etiam in ipso instanti generationis, cum pro illo agens agat, sed approximatio fundatur in præsentia localī, & hæc in quantitate: ergo de primo ad vltimum sequitur, quod antecedenter ad hoc vt educatur, & recipiatur forma substātialis in subiecto, debet hoc præcedere cum quantitate: ergo hæc non in secundo, sed in primo subiectatur subiecto.

¶ Respondetur concedendo maiorem & minorem, & negādo cōsequentiam: nam passum est agenti approximatum ad generationis instans, per dispositiones præuias, quæ præcedunt ipsum generationis instans; sed etiam est ei approximatum in ipso instanti generationis, per dispositiones concomitantes, quæ in genere causæ formalis præcedunt receptionem formæ substantialis: vnde in illo instanti generationis, quantitas subsequuta ad formam substantialem in genere receptiuo, antecedit in genere formali in materia, vt materia sit proximè determinata, & sygillata ad huius formæ substantialis receptionem, de hoc latè infra quæstione sequenti. ¶ Hæc dixi, non propter argumenti efficaciam, sed propter doctrinæ consequentiam; nam approximatio est solum conditio inter agens, & passū; & ideo nec requiritur quod præsupponatur in passo, nec quod intelligatur in priori naturę, *in quo* agens, & passum causant, sed solum, quod sit in instanti *in quo* causant, vt aliquid consequutum ad formæ introductionem, & compositi productionem: non aliter ac licet existētia sit conditio ad materiæ receptionem, tamen nec requiritur quod præsupponatur in materia, nec quod intelligatur in priori naturæ, *in quo* materia recipit, sed solum quod sit in instanti, *in quo* materia recipit, vt aliquid consequutum ad formam receptā.

§. V.

Secundum fundamentum.

21. SEcundum sic procedit in generatione hominis. v. g. remanet quantitas cum organizatione, quę erat sub forma embrionis; ergo quantitas corrupti trāsit ad genitum. Antecedens probatur. Si quantitas corrupti non perseueraret in genito, finis naturæ esset frustratus: tum quia talis organizatio præparatur ad animæ introductionem: tum quia hęc organiza-

ganizatio destrueretur antecedēter ad generationem, ad quā erat præparata: ergo in hominis generatione remanet in genito, corrupti quantitas. ¶ Respōdetur negando antecedens. Ad probationem distinguo antecedens; præparatur organizatio ad animæ introductionem per modum *dispositionis præuiæ*, concedo antecedens; per modum *concomitantis*, nego antecedens, & consequentiam: nam organizatio, quæ fuit in embrione, disponit, præparat, & determinat materiam, nedum ad animam, sed etiam ad aliam similem organizationem.

22. Dices: si in generatione substantiali fit resolutio vsque ad materiam primam: ergo non est salubrius delicatis vti cibis quā crassis, & venenosis; vtique quia materia, (quæ in hac opinione salum transit in substantiam aliti) in omnibus cibis est eiusdem rationis. ¶ Respondetur negando sequelam; nam cibi crassi, quando sunt in propria specie in stomacho, antecedenter ad actionem nutritiuam, sunt nociui; cum qualitates nociuas, & contrarias nutrito habeant; quod è conuerso accidit in cibis pretiosis, propter oppositam rationem, scilicet, quia qualitates nutrito benignas habent; & ideo ex resolutione vsque ad materiam primam non sequitur sequela.

§. VI.

Tertium fundamentum.

23. Tertium fundamentum sic procedit: in cadauere producto manent eadem accidētia, quę erāt in homine corrupto; vtique quia in homine, cuse mortuo, inuenies pro aliquo tempore eundem calorem, & semper eandem figurā, & eandem cicatricem; & similiter in pomo separato ab arbore, eundē colorem, & saporem: ergo in generatione substantiali non fit resolutio vsque ad materiam primā. Etsi respondeas, perseuerare eadē accidentia secundum speciem non vero secundum numerum. Contra est primò nam non est in cadauere genito à quo producatur alius numero calor, tum quia nequit produci a gladio, vel à frigore, vel à similibus causis, à quibus potest cadauer educi; tum quia nulla, ex his causis, continet calorem: ergo dicendum est esse eundem numero calorem. ¶ Contra est secundò, si eadem numero accidentia non perseuerant in genito, nō est asignabilis, nec apparens ratio, quare alia numero debeāt produci; nam nec forma genita illa exigit; imò multoties ei repugnat, vt calor cadaueri; nec agens particulare exigit illa producere, vt constat ex prima impugnatione; nec vniuersale, cum hoc tantum debeat suplere vices agentis secundi, producendo accidentia à forma genita expostulata: ergo dicendum est eadem numero perseuerare accidentia. Contra est tertio, nam teste Philosopho, *sensus iuxta sensibile proprium debitè approximatum, non potest falli*; cum sit sensibilium iudex;

dex; sed sensus existimat eadem numero remanere in genito accidentia, quæ fuerunt in corrupto: ergo remanent. Nihilominus ad argumentum bene ibi. Ad primã & secundam impugnationem respondetur primò, negando antecedens, nam producens cadauer manet, ex dispositionibus materiæ determinatum, vt illud producat cum similibus accidentibus; & licet hęc non sequantur ex determinatione, seu exigẽtia formæ, benè tamen ex determinatione, & exigentia materiæ præexistentis: vnde calor, sicut forma cadaueris, continetur, tanquã in causa æquiuoca, in ense, vel frigore: vel (vt alij volunt) in intelligentia motrice, quæ asignatur vt causa per se cadaueris, & accidẽtium quæ subsequuntur ad illud, tam ex exigẽtia formæ eductæ, quam materiæ dispositæ. ¶ Similiter respondẽdum est argumento communi, de Cato proiecto, & in medio spatij mortuo; nam in illo incipit nouus numero motus, ab agente productiuo formæ cadaueris causato. ¶ Secundo respondetur, quod licet agentia, in obiectione proposita, per se non intendant productionẽ caloris, tamen per accidens, vt repatiuntur, à calido interfecto recipiunt qualitates calidas, quæ possunt illum causare. Ad tertiam instantiam dico, quod licet sensus non possit falli circa accidentia diuersæ speciei, nec eiusdem, quãdo successiue introducuntur; bene tamen quando in instanti. Vnde, si quis videret album vsque ad instans *A*. exclusiue, & in eodem instanti Deus illam albedinem destrueret, & aliam eiusdem intensionis introduceret, tunc sensus absque dubio deciperetur; & sic in his, & similibus casibus, est à ratione corrigendus.

§. VII.

Quartum fundamentum.

24. QVartum fundamentum sic se habet. In differẽtia materiæ, ad huius formæ substantialis receptionem, determinatur per formas accidentales dispositiuas, immediate in ipsa receptas: ergo accidentia, quæ fuerunt in corrupto, ad corruptionem formæ pręexistentis, fuerunt in instanti generationis in materia geniti, ad formæ generandæ receptionem. Antecedens probatur: dispositiones debent recipi in subiecto, in quo forma substantialis, ad quam disponunt, recipitur; vtique quia hoc subiectum, & non aliud, debet disponi ad formæ receptionem; ni dicas, formam recipi in subiecto in disposito; sed subiectũ formæ substantialis est materia prima: ergo in hac debent accidentales dispositiones recipi.

25. Et si dicas, materiã esse dispositam, & determinatam, per dispositiones, quæ præcesserunt ad instans generationis in composito corrupto, tanquam in subiecto immediato, & in materia tanquam in

in subiecto mediato. Contra est primo; nam in instanti generationis est verum dicere, quod forma recipitur in materia disposita: ergo pro illo instanti dantur dispositiones materiam disponentes, & determinantes. Contra est secundo, quia impossibile est, quod detur pro illo instanti materia determinata, & quod non detur in illo forma determinans: ergo pro illo instanti materia est dispositionibus affecta. Contra est tertio, quia si in instanti generationis est verum dicere, quod non sunt dispositiones: ergo & quod materia non sit disposita, vtique quia consequentia, quæ procedit à negatione formæ communicatæ, ad negationem effectus formalis, est legitima; cum iste sit forma subiecto communicata.

26. Et si iterum dicas, materiam in instanti generationis dici dispositam, per sigillationem derelictã in materia, à dispositionibus, quæ fuerunt in corrupto. Contra est primò, quia in instanti generationis non sunt hæ dispositiones: ergo in illo non valent ab illis denominari; cum existentia sit formæ necessaria, vt possit effectum præstare. ¶ Contra est secundo quia hęc sigillatio, vel est ipsa materia, vel est aliquid accidentale ab ipsa materia distinctum: si primum; ergo materia ex se est determinata ad hanc numero formam, quod est contra essentialem indifferentiam materiæ si secundum; ergo iam aliquod accidens corrupti, immediate in materia receptum, transit ad genitum.

27. Vt respondeas, suppone hoc argumentum non habere vim cõtra Auctores, qui vltra dispositiones præuias, (de quibus nunc procedit argumẽtum) admittunt cõcomitantes, quæ in instanti generationis disponunt ad formæ receptionem. Sed vt in omni opinione ad illud respondeam, noto primò, dispositiones præuias non solum disponere materiam, pro tempore quo sunt in corrupto; sed etiam pro instanti generationis, in quo tantum sunt in effectu, seu sigillatione derelicta, seu virtualiter, vt alij volunt.

28. Secundò noto sigillationem hanc non consistere in hoc, quod materia sit pro instanti generationis aliquo accidenti affecta; sed solum in hoc, quod connotet ex se, & ratione sui, dispositiones antecedentes: non aliter ac accidentia panis consecrati, ex se & ratione sui, connotant substantiam panis cõuersam, vt ab ipsa accipiant indiuiduationem.

29. Tertio noto, hanc sigillationem ex parte connotati, esse realiter distinctam ab essentia materiq; nam hæc, ex parte connotati, sunt dispositiones accidẽtales, ab ipsa materia connotate, etiam si ex parte recti solum sit per rationem distincta, per modum accidentis Logici: non aliter ac singularitas distinguitur ab essentia creata. Vide quæ dicta sunt lib. 1. Philosophiæ, disp. 2. q. 1. §. 3. de poten-

potentia proxima & remota materiæ.

30. His ergo suppositis, ad primam impugnationem dico, materiam esse formaliter dispositam, & determinatam, in instanti generationis, per ordinem ad dispositiones præuias, quæ præcesserunt generationis instans; non aliter ac accidentia eucharistica dicuntur formaliter indiuidua, per ordinem ad substantiam panis, quæ non est; nam in vtroque casu respectus est formalis. Ad secundam dico, sigillationem, ex parte recti, non esse aliquod accidens physicum, sed solum logicum, per rationem adueniens essentiæ materiæ sicut actus entitatiuus aduenit rei possibili.

§. VIII.

Quintum fundamentum.

31. QVintum sic procedit forma substantialis indiuiduatur ab hac materia: ergo antecedenter ad hoc, quod educatur, & recipiatur in illa, supponitur hæc, & indiuidua: sed hoc exercet materia ratione quantitatis; cum iuxta mentem Thomistarum) materia per quantitatis sigillationem sit positiuè hæc: ergo antecedenter ad eductionem, & receptionem formæ, datur in materia quantitas recepta.

Propter hoc argumentum, sit.

(.˙.)

QVÆSTIO IV.

A quo radicaliter accipiatur vnitas numerica rerum, tam spiritualium, quam materialium?

§. I.

1. PRo totius quæstionis intelligentia, suppono primo principium indiuiduationis stare dupliciter; primò, pro principio *formali*, (quod à Thomistis cum non parua æquiuocatione metaphysicum appellatur) & hoc est, differentia indiuidualis in ordine ad radicale sumpta, seu actus metaphysicus contrahens logicè, vel per rationem, speciem. Secundò, pro principio *radicali*, à quo, tanquam à prima *radice*, formale, siue physicum, siue metaphysicũ originem accipit. Notanter, contra Thomistas, dixi, *siue physicum, siue metaphysicum:* nam anima rationalis. v.g. *Petri*, nedum metaphysicè; sed Physicè, est singularis; cum in ordine ad aliud, videlicet ad materiam signatam quãtitate, sit indiuidua. (vt constabit ex dicẽdis in discursu quæstionis) Quæstio ergo nõ procedit; de principio indiuiduationis in prima, sed in secũda acceptione vsurpato; & ideo titulus inquirit, de radicali fonte, à quo vnitas numerica rerum originem trahit.

2. Suppono secundò, ex dictis in primo notabili, principium indiuiduationis *formale* totius cõpositi,

ti, esse hanc formam & hanc materiam; tum quia vt ait D. Thomas 1.p.q.29.a.2.ad 5. *Hæc anima, & hæc caro, & hoc os, sunt de ratione huius hominis.* Tum quia indiuiduatio formalis totius, vt indistincta à toto, non debet distingui ab indiuiduatione partium: ni dicas, totum esse a partibus realiter distinctũ: tum quia sicut species hominis constat ex materia & forma, sic indiuiduum huius speciei. v.g. *Petrus*, debet constare ex hac materia & ex hac forma.

Hoc igitur principium indiuiduationis, quod à nobis, cum omni proprietate, appellatur formale; (cum sit acceptum in ordine ad aliud, quod ab omnibus appellatur radicale) nominatur à Ioanne Gonzalez de Albelda, q. 11. disp. 23. n. 12. conclus. 8. & a Salmanticensibus tom. 1. in 1. p. tract. 1. de principio indiuiduationis, *principium integrum & adæquatum* indiuiduationis: sed cum æquiuocatione, & improprietate non parua; nã hoc genus indiuiduationis non solum reperitur in toto, (ratione cuius tale principium valet appellari totale, seu integrum) sed etiam in partibus totius, videlicet in materia, & forma, cum hæc sit indiuidua, (in opinione eorum) in ordine ad materiam, & illa, in ordine ad quantitatem: ergo tale indiuiduationis genus, nõ integrum, seu adæquatum, sed formale debet appellari, vt sic compræhendat omne id quod in ordine ad aliud accipit indiuiduationem, licet sit partiale.

3. Nec contra hoc suppositum debet audiri Pater Suarez; qui in Metaphysica, disput. 5. sect. 6. ait: compositum hoc non cõstare determinatè ex hoc corpore, seu ex hac materia, sed solum ex hac anima, & ex qualibet materia indifferenter; & consequenter asserit, quod animæ in resurrectione non possint semper vniri eisdem numero materijs, ad quod supponit, (vt probabile) quod in resurrectione communi, omnes animæ non sunt vniendæ cum materijs, quas in hac vita informarunt.

Quod probat ex eo, quod multoties eadem numero materia, fuit in hac vita, sub duplici anima rationali; nam in casu, quo homo fit nutritus ex carne humana, tunc materia huius carnis humanę, quæ iam fuit sub anima rationali, trãsiuit naturaliter ad formam seminis, embrionis, & hominis de nouo geniti; sed in resurrectione cõmuni eadem numero materia non valet esse, simul actu, sub duplici forma substantiali, nec simul constituere duplicem hominem: ergo dicendum erit, accipiendam esse aliam materiam sublunarem, vt, in tali casu, duo resurgant homines: ergo vt fiat idem numero homo, non est curandum de vnitate numerica materiæ; sed solum de numerica animæ: ergo indifferenter ex qualibet numero materia valet fieri idem numero cõpositum, dummodo eadem numero sit forma.

Non

Non (inquam) est audiendus tũ quia ipse in tract. 2. 3. p. disp. 44. sect. 2. hanc sententiam, (quam in Metaphysicis vt probabilem defendit) damnauit; tum quia, vt parũ tuta deseritur ab omnibus Doctoribus: nam opponitur fere immediatè symbolo Athanasij asserentis, *omnes omnes resurgere habent cum corporibus suis:* & etiam testimonio Iob. 19. vbi seipsum consolabatur dicens, *quem visurus sum ego ipse, & non alius; & in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* Tum denique ratione, nam homo, vt sic, ita essentialiter constat ex materia sublunari, & ex anima rationali, vt ex cœlesti non valeat resultare: ergo Petrus, vel hic homo, ita essentialiter debet constare ex hac materia, & ex hac anima, vt ex alia numero materia nõ valeat resultare.

4. Vnde ad argumentum respõdetur cum Diuo Thoma in 4. dist. 44. q. 1. a. 2. quæstiunc. 2. ad. 3. & 4: & 4. contra Gentes. cap. 81: & etiã cum Francisco Suarez loco supra citato. 3. p. difficiliter accidere, quod duo homines in toto vitę discursu habeant eãdem numero materiam: tum quia pauci vel nulli sunt, qui carnibus humanis in cibum vtantur: tum quia nullus, pro toto vitæ discursu, habere potest carnes humanas, vt illis semper nutriatur; & sic (iuxta hanc doctrinam (dicendum est, in resurrectione vnicuique concedi partes materiæ, quæ illi propriæ sunt; & aliæ; quæ ei deficiunt, suppleri à Deo, ex alijs materijs: sicut defacto debent suppleri pueris, qui infantili ætate mortui sunt, vt resurgant in mensura ætatis plenitudinis Christi.

Nec hoc est contra essentiam resurrectionis; nam vere resurgit totum, quod ceciderat, vt illius; etiam si defectus vel partes, (quæ erant in illo, vt mutuatæ, & vt alterius (non resurgant, sed suppleãtur à Deo.

5. Et si inquiras: cui, ex duobus hominibus, debeat tribui pars cõmunis materiæ? ¶ Respondeo primò, cum Augustino, & Diuo Thoma, tribuendam esse ei, qui eam prius habuit, quia primus eorum acquisibit ius in illam, & secũdus quasi mutuatam accepit. Vel secundo, cum Patre Suarez, tribuendam esse sanctiori, per modũ præmij.

6. Etsi dicas, posse accidere, quod omnes partes, quas Paulus v.g. habuit in primo instanti suæ generationis, & pro toto tempore suæ vitæ fuerint Petri, v.g.

Respondeo primò, cum Carmelitis, casum esse *metaphysice* tantum possibilẽ; non verò *physicè*, & realiter: nam ad suauitatem diuinæ prouidentiæ spectat, (supposita infailibilitate sui decreti, de resurrectione in eadem carne) quod indiuidua humana, in omnibus partibus materiæ, non conueniant inter se, vt cuilibet possit in cõmuni resurrectione tribui sua propria materia.

Respõdeo secundo, (iuxta doctrinam

ctrinam Thomistarum) in hoc, & præcedentibus casibus, posse Deũ accipere quamlibet materiam alterius rei, ad hos supplendos deffectus, absque eo quod sequatur aliquod inconueniens, contra veritatem resurrectionis in eadẽ carne: nam nec forma nec compositum, (vt dicunt Thomistæ) indiuiduantur à materia secundum se accepta, sed à materia vt signillata hac quantitate; & sic materia alterius rei, connotando eandem quantitatem, quam Petrus v.g. in hac vita habuit, valet & debet cõstituere eundem numero hominẽ; præcipue cum in opinione Thomistarum, materia, secundum se accepta, in omnibus sit eadem negatiue.

Quare (iuxta hanc solutionem) Petrus resurget cum eadem numero materia, *negatiua*, & *positiua*; *negatiua* quia negatiue in omnibus est ita eadẽ, (cum tota sublunaris eadem cẽseatur numero, *positiua* quia præcontinet, & cõnotat eandem numero quantitatem, à cuius præcontinentia, seu connotatione, (vt infra dicam) accipienda est positiua materiæ indiuiduatio.

7. Nec valet dicere, vt insinuãt Carmelitæ, in physicis disp. 6. q. 1. materiam, in prima rerum productione, esse in portiones & quasi partes diuisam à Deo; ita vt cuilibet tribuat, per modũ quasi coaptationis essentialis, peculiares sigillationes, in alia portione non reperias; non aliter ac actus vnius scientiæ, ita sunt illius, vt non valeant ab alia fieri, deffectu coaptationis propriæ.

Non (inquam) valet; nam facta suppositione philosophica, quod materia ex se, seu negatiue, sit omnino eadem, & quod (vt sic) eadem valet transire ad diuersa composita, nescio quo pacto diuersarum rerum materiæ, seu portiones, non valeant successiue eandem quantitatem connotare, seu continere; præcipue cum in portionibus materiæ, secundum se acceptis, nulla à Carmelitis reperiatur diuersitas, sicut in scientijs secundum se acceptis reperitur.

§. II.

Ex quo accipiatur vnitas numerica rerum spiritualium?

8. VT ergo ad dificultatis dificilem accedamus apicem, suppono vt certum, Deum optimũ Maximum esse singularem, per suam met summe simplicem, & actualem essentiam: sic Diuus Thomas. 1. p. q. 3. a. 2: vbi sic nostrum statuit suppositum. *Forma autem, quæ non est receptibilis in materia, sed per se subsistens, ex hoc ipso indiuiduatur, quod non potest recipi in alio, & huiusmodi forma est Deus.*

Sic etiam ratio nostrum conuincit suppositum; nam in Deo indiuidualis vnitas non est, (nec per rationem, cum fundamento in re) ab specifica distincta (vt peritiores docent Theologi) sed specifica nedum

dum in Deo summe simplici, sed etiam in alijs rebus compositis, accipitur ab actu: ergo indiuidualis, ab specifica in Deo omnino indistincta, debet à summa actualitate ipsius accipi essentiæ.

Confirmatur, nam vt dixi in. 1. p. Logicæ. disp. 4. c. 2. per totam; essentia diuina est essentialiter singularis: ergo illius singularitas debet accipi ab eo, à quo essentialis accipitur conceptus; sed essentialem, non ab alio, sed a se, hoc est, à propria, summa, & pura accipit actualitate: ergo similiter & indiuidualem.

Confirmatur secundo; nam essentia Dei, eo ipso, quod est purus actus, caret compositione metaphysica ex genere & differētia specifica: ergo similiter compositione metaphysica ex specie & differentia indiuiduali: ergo à sua simplicissima actualitate omnes has obtinet vnitates; alias distinctionem inter hos admitteret gradus.

9. Hoc ergo supposito, dico, substantias ab omni materia physica separatas, scilicet Angelicas, indiuiduari per seipsas, etiam si indiuiduatio: seu vnitas indiuidualis sit cum fundamento in re ab vnitate specifica distincta.

Est Diui Thomæ de spiritualibus creaturis. a. 8. ad. 13. vbi sic fatur *Dicendum, quod indiuiduatio, in Angelis, non est per materiam, sed per hoc, quod sint formæ per se subsistentes, quæ non sunt natæ esse in subiecto, vel materia.*

Ratione probatur assertio; nam illud est primum indiuiduationis principium, quod est omnino incōmunicabile; cum (secundum Philosophum & veritatem) indiuiduū non valeat de alijs dici; sed formæ per se subsistentes, quales sunt essentiæ Angelorum, sunt ex se omnino incommunicabiles, cum sint formæ irreceptæ, & simplices: ergo ex se sunt indiuiduæ.

Confirmatur primò, ex eo materia, quantitate signata, est in rebus materialibus primum indiuiduationis principium, quia materia, (ad distinctionem actus, ex se communicabilis potentiæ) est, tàm actu, quàm aptitudine, alteri incommunicabilis; sed formæ simplices Angelorum ex se sunt incommunicabiles, & irreceptibiles tàm actu, quàm aptitudine: ergo ex se sunt indiuiduæ.

Confirmatur secundo; eadem est prima radix primæ substantiæ, & substantiæ indiuiduæ; cum, secundum Philosophum in antepredicamentis cap. de substantia, prima substantia sit indiuiduum; sed in formis, à materia physica separatis, tàm actu, quàm aptitudine, prima radix primæ substantiæ est ipsa forma a materia omnino separata: ergo & prima radix substātiæ indiuiduæ est etiam ipsa forma materiæ incommunicabilis. Probo minorem; prima substantia cōstituitur, secundum Philosophum loco supra citato, in ratione primæ, per hoc: quod nec sit in subiecto, nec de subiecto dicatur: sed essentiæ Angelorum ex se, nec actu,

nec

nec aptitudine, sunt in subiecto; cum sint formę omnino à materia, separatæ; nec de subiecto valent dici, cum adæquatè & totaliter illo careant: ergo in formis, à materia omnino separatis, prima radix primę substantię est ipsa forma a iijs adæquate incommunicabilis.

10. Dices, vnitas numerica est vnitas materialis, sicut vnitas specifica est vnitas formalis; sed omnis vnitas formalis, seu specifica, accipitur à forma: ergo omnis vnitas materialis, seu numerica, debet accipi à materia: ergo vel Angelorum essentiæ debent ex materia constare; vel in illis non debemus vnicatem asignare numericam.

Patres Carmelitæ, qui cum plurib⁹ Thomistis in materia de Angelis denegant Angelis distinctionem virtualem, & etiam distinctionem rationis adæquatã inter vnitatem specificam, & indiuidualem, facile se expediunt ab hac obiectione distinguendo maiorem; vnitas numerica, seu à materia, sumpta, est materialis, si pure numerica sit, concedunt maiorem si simul sit specifica, negant maiorem; & concessa minori, negant consequentiã iuxta distinctionem maioris; nam licet verum sit, quod vnitas pure indiuidualis sit materialis, & à materia tanquam à prima orta radicẽ; tamen vnitas indiuidualis, quæ simul est specifica, non valet dici materialis, nec valet accipi à materia, sed à forma, à qua specifica accipitur: aliàs in Deo numerica vnitas non esset.

Sed quamuis hæc solutio sit probabilis, & in aliquo sit certa, nihilominus consequenter adea, quæ dicta sunt in 1. p. Logicæ disp. 4. q. 2. per totam, non potest dari; & ideo respondetur distinguẽdo maiorem; vnitas numerica est materialis, in rebus materialibus, concedo maiorem, in spiritualibus, nego maiorem; & concessa maiori, nego consequentiam; nam vnitas numerica, non quia numerica, materialis dicitur, sed quia à materia accepta: Cum ergo in Angelis, omnino à materia separatis, non sit materia, ideo in illis talis vnitas non debet materialis appellari: sed indiuidualis; licet, comparatione ad specificam, materialis valeat aliqualiter dici. ¶ Replicabis: ex eo in oppinione D. Th. Angeli non valent sub eadem specie numero multiplicari, quia carent materia: ergo materia, in oppinione D. Th. est principium primum vnitatis indiuidualis. ¶ Respondetur concedendo antecedẽs, & negando consequentiam; nam licet verum sit, quod multiplicatio purè indiuidualis, intra eandem speciem, dimanet a materia, à qua etiam dimanat vnitas indiuidualis rerum materialium, tamen vnitas numerica, vt sic, non à materia, sed à primo principio incommunicabilitatis, (quod in rebus materialibus est materia, & in spiritualibus, per se subsistentibus, est propria forma) dimanat. ¶ Non quiescas: secundum Philosophum, eadem est ratio constitiua, & distin-

stinctiua; sed prima ratio distinctionis indiuidualis est materia: ergo prima ratio cõstitutionis indiuidualis est etiã materia. ¶ Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem; materia est ratio distinctionis indiuidualis in rebus materialibus, concedo minorem in spiritualibus, nego minorem, & consequentiam: nam hæc prima ratio non dimanat, in rebus adæquatè spiritualibus, à materia, quæ in illis non est; sed à forma, quæ in illis est. ¶ Adhuc inquietus instabis; conceptus genericus Gabrielis v. g. est defacto indiuidualiter multiplicatus; & tamen nec est materialis, nec dicit ordinem ad materiam; cum sit omnino spiritualis, & simplex: ergo vel materia est, in omnibus rebus, primum principium indiuiduationis, vel nõ est primum principium multiplicationis indiuidualis. ¶ Respondetur distinguẽdo maiorem; conceptus genericus Angelorũ est indiuidualiter multiplicatus, per se primo, nego maiorem; per se secundo cõcedo maiorem, & minorem, & distinguo consequens; materia non est principium multiplicitatis indiuidualis, in rebus spiritualibus, concedo consequentiam; in materialibus, nego consequentiam; nam materia non est principium, vt aliquis cõceptus sit indiuidualiter, & specificè distinctus, sed solum vt sit numero intra eandem speciem distinctus; & ideo conceptus genericus Angelorum, etiam si materialis nõ sit, valet indiuidualiter absque materia multiplicari, media multiplicatione specifica, ab illo per se primò inspecta.

Vnde colliges, materiam solum esse principium multiplicitatis indiuidualis, intra eandem speciem; nam in diuersis speciebus, non solum materia; sed etiam forma valet esse secundario multiplicitatis indiuidualis principium.

Dices secundò, ex eo essentia diuina indiuiduatur per seipsam, quia est infinita; sed essentiæ Angelorum sunt finitæ: ergo non indiuiduantur per propias essentias.

Respondetur negando maiorẽ, quidquid alij dicant; nã Deus nõ est à propria essentia formaliter indiuiduus, quia infinitus, sed quia per se subsistẽs: & irreceptus; qualiter Angelorum se habent essentiæ: vnde infinitas non est, per viã rationis formalis, principium indiuiduationis à se, sed solum metaphysicæ compositionis, in Angelis propter oppositam rationem limitationis, & finitatis repertæ.

§. III.

Quantitas, qualiter ex se sit indiuidua.

11. VT ad radicale indiuiduationis rerum materialiũ accedamus principium, necessum est, vt prius indagemus principia, ex quibus quantitas propriam accipit indiuiduationem; nam ex huius

huius decisione omnis rerum materialium dependet indiuiduatio. Pro huius difficultatis intelligẽtia, nota, ex dictis in 2 par. Logicæ, disp. 5. q. 1. & 2. quantitatem posse in triplicem partiri conceptum primò in seipsam, vt exprimit rationẽ cõmunem accidentis, in ea transcendentaliter imbibitã. Secũdò in seipsam vt exprimit proprietatem subsequutam, videlicet extensionem huius substantiæ, & non alterius. Et tertio denique, in seipsam, vt exprimit propriam essentiam, scilicet partes distinctas & formaliter independentes: in duabus prioribus acceptionibus certum est quantitatem indiuiduari *vt quod* à composito, & *vt quo* à materia positiuè hæc, (vt constabit ex dicendis infra:) in tertia vero acceptione procedit difficultas, & inquirit, an, secundum hanc acceptionem vltimam indiuiduatur à seipsa, vel à subiecto. Hoc supposito.

12. Dico, quantitatẽ secundum hunc vltimum & inadæquatum conceptum suæ essentię, quasi specificæ, constitutiuum indiuiduari à seipsa; licet secundum alios duos sit, sicut alia accidentia, à proprio indiuiduata subiecto. Hæc nostra conclusio est Diu. Thom. 3. part. quæst. 77. art. 2. & 4. contra gent. cap. 65. & in 4. distinct. 12. quęs. 1. ar. 1. quæstiun. 3. & quodlib. 7. art. 10. & opusc. 70. quæst. 4. art. 2. ad 3. his verbis. *De ratione indiuidui est, quod sit in se indiuisum, & diuisum ab alijs, vltima diuisione; nullum autem accidens habes in se propriam rationem diuisionis, nisi quantitas: vnde dimensiones, ex seipsis habent quandam rationem indiuiduationis, & sic quantitas habet duplicem rationem indiuiduationis; vnam ex subiecto, sicut & quodlibet aliud accidens; aliam ex seipsa, in quantum habet situm.* Quid expressiuis, quid clarius pro nostra assertione.

13. Ratione ergo probatur, ex eo omnia accidentia indiuiduantur à subiecto, vt constabit ex dicendis infra) quia illud essentialiter exigunt, vt ei communicentur; sed quantitas, vt habens partes eiusdem rationis independentes, suæ essentię constitutiuas, est formaliter expressiuè alteri incommunicabilis: ergo vt sic est à seipsa indiuiduavtique quia prima substantia, seu indiuiduum (vt dixi supra §. 2.) est, quod alteri est incommunicabile. ¶ Confirmatur: ex eo, secundum D. Thom. 3. part. quæst. 77. art. 2. formæ materiales separatæ, & per se subsistentes, sunt per se adæquatè indiuiduæ, quia adæquatè non sunt natæ ad essendum in aliquo; sed quantitas secundum hunc conceptum inadæquatum, suæ essentiæ vltimatè constitutiuum, non est expressè nata ad essendum in aliquo; cum vt sic (vt dixi in 2. p. Logicæ, loco supra citato) sit independens, & prima dimensionis mensura, à qua omnia composita materialia, vt in partes eiusdem

dem rationis, seu solo numero distinctæ diuidantur, ordinantur: ergo secundum hunc conceptum inadæquatum est à se indiuidua.

Secundo probatur ratione: indiuiduum est, indiuisum à se, & diuisum à quolibet alio; sed vna materia, in ordine ad quantitatē, est ab alia materia diuisa: ergo quantitas, terminās huius materiæ respectum, intrat ad rationem primi principij indiuiduationis: ergo talis quantitas est ex se indiuidua; cum ad prima principia non debeant alia dari; ni admittas processum in infinitum.

14. Dices primo: omnia accidēntia, quoad omnes suas expressiones, sunt propter substātiam; cum omnia sint nata vt substantiæ deseruiant: ergo quantitas neque inadæquate est à se indiuidua; vtique quia in tantum assignatur à nobis vt à se indiuidua inadæquatè, in quantum inadæquatè est propter se, & non propter substātiam. ¶ Respōdetur distinguendo antecedens; omnia accidentia, quoad omnes suas expressiones, sunt propter substantiam, idest, deseruiunt in aliquo substantiæ, concedo antecedens; idest respiciunt formaliter substātiam, nego antecedens, & consequentiam: nā licet essentia quantitatis, (vt dixi in 2.p. Logicæ, loco supra citato) non deseruiat substantię in genere causæ formalis intrinsecæ, per modum rei dependentis & mensuratæ, tamen ei deseruit per modum termini cōnotati, seu per modum mensuræ indepēdentis; non aliter ac ens rationis scietijs realibus valet deseruire per modū mēsurę indepēdētis. Vide quę ibi dicta sūt.

Replicabis: indiuiduationis principium in omnibus rebus vnū est: ergo superflue duplex quantitati concedimus. Respondetur concedēdo antecedēs, de principio adæquato indiuiduationis; & negādo illud, de inadæquato: nam (iuxta nostram conclusionem) quātitati nō duplex adæquatum, sed duplex inadæquatum, & vnum adæquatū indiuiduationis assignamus principium; quod non est peculiare in quantitate, vt cernere licet in prę-sentia, quæ nō solum indiuiduatur à subiecto, sed à loco; & in priuationibus, quæ non solum indiuiduātur à subiecto, cui (nostro modo intelligendi, (inhærent, sed à forma qua priuant; vt in proprijs locis dixi in physicis.

15. Dices secundo: quod quantitas habeat à se partes eiusdē rationis, per accidens se habet ad indiuiduationem quantitatis; vtiq; quia totum hoc spectat ad conceptum specificū quantitatis, in quo omnes conueniunt quantitates; sed cōceptus specificus alienus est ab indiuiduali, & à radice indiuidualis cōceptus: ergo ex eo, quod quantitas habeat partes independentes, non sequitur quod sit sibi ipsi prima indiuiduationis radix. ¶ Respondetur distinguēdo maiorem; per accidens se habet, ad indiuiduationem quantitatis, habere à se partes in communi, concedo

cedo maiorem, in particulari, nego maiorem. Ad probationē dico, quod licet verum sit, quod ad conceptum specificum quantitatis spectet partium independētia in communi, tamen partium independentia in singulari spectat ad indiuidualem; & sic, in hac acceptione, est sibi ipsi prima indiuidua tionis radix.

16. Dices tertio: ex eo, in opinione probabile Thomistarum, conceptus specificus nō est in Angelis ab indiuiduali virtualiter distinctus, nec valent inter se solo numero distingui, quia sunt formæ ex se indiuiduæ; sed in quantitate conceptus specificus est (in omnium opinione) ab indiuiduali virtualiter distinctus, & similiter est solo numero multiplicatus: ergo non est à seipso indiuiduatus. Respondetur imprimis, negando maiorem, quoad primam partē; nam (vt sæpe sepius dixi) etiam in Angelis vnitas specifica est ab indiuiduali virtualiter distincta. Sed quia secunda instantia semper vrget, ideo ad vtramque respondetur secundo, negando paritatem: nam si conceptus specificus non distinguitur in Angelis ab indiuiduali; & non valent solo numero multiplicari, est quia adæquatè sunt formæ spirituales, simplices, incommunicabiles, & ex se indiuiduæ; qualiter quātitas non est se ipsa indiuidua, vt constat ex dictis in discursu paragraphi.

17. Dices quarto: quidquid est in quantitate, siue per modū prædicati communis, siue peculiaris, spectat ad lyneam formę: ergo in illa non valet assignari aliquid, quod sit prima indiuiduationis ratio: Tum quia ratio prima indiuiduationis accipitur ex prædicatis spectantibus ad lyneam materiæ: tum quia ex eo forma equi, v. g. nō est ex se indiuidua, quia totum, quod in illa est, spectat ad lyneam formæ. ¶ Respondetur primò cōcedendo antecedens, & negando consequentiam: nam licet totum, quod est in quantitate spectet ad lyneam formæ, tamen in illa datur aliqua expressio ita independens, vt ex illa vnitas ab alio non depēdens dimanet.

Nec exemplum secundæ probationis aliquid conuincit: nam forma equi v. g. non ideo non est ex se indiuidua, quia totum, quod in illa est, spectat ad lyneam formæ, (aliàs formæ simplices non essent ex se indiuiduæ) sed quia totum, quod in ipsa est, est in ordine ad materiam, à qua indiuiduatur. ¶ Respondetur secundo, negando antecedens: nam in genere dispositiuo quantitas ad lyneam spectat materiæ.

19. Dices vltimò: si propter aliquam rationem quantitas est à se indiuidua, maximè propter rationē Doctoris Sancti; videlicet, quia ex se, absq; ordine ab subiectum, fundat situm; sed ex hoc non sequitur, quod sit à seipsa indiuidua, sed à situ, qui est à quantitate realiter distinctus; vtique, quia in ordine ad situm accipit indiuidua-

duationem; sicut forma subsitãtialis in ordine ad materiam; vel saltem sicut materia in ordine ad quantitatem: ergo prima indiuiduationis radix in quantitate est ratio prædicamenti situs constitutiua, vel est situs vt in quantitate præcontentus.

Respondetur, negando hanc esse Doctoris Sãcti rationem: nam licet Doctor Sanctus dicat, quãtitatem indiuiduari ex se, in quãtum habet situm, tamen, (vt ipse se exponit Opusculo 70. quæst. 4. art. 2. ad 3.) non loquitur de situ spectante ad prædicamentum situs, sed de situ prout est differentia quantitatis propria; in quo sensu loquutus est Philosophus capit. de quantitate, dum dixit, quantitatem constare ex partibus habentibus positionem; vnde nec quantitas indiuiduatur à situ, de prædicamento situs, sicut forma à materia indiuiduatur, vel sicut materia à quantitate; cum situs de prædicamento nullã formalitatem independentẽ, seu alteri incõmunicabilem exprimat.

20. Nota tamen, illa verba Doctoris Sancti, *in quantum habet situ, seu extensionem partium*, non sensum denotare formalem, sed materialem; ita vt sit illorum sensus, quod essentia quantitatis, seu distinctio partium independentium, quę habent situm, positionẽ, seu extensionem subsequutã, per modũ proprietatis, ad quantitatis essentiã, seu ad partes distinctas independentes, indiuiduant quantitatem. Ratio autem, quare sensus illorum nõ valet admitti, formaliter, est, quia extensio, seu positio, est partium independentium; & sic extẽsio, seu positio, vt depẽdens, indiuiduatur à partibus, & non partes à positione, seu extẽsione. Vide quæ dicta sunt in capit. de quantitate, quæstione prima, & secunda, vt nostram doctrinam & veritatem (circa præsentẽ quæstionem, penitus introspicias.

§. IV.
Aduersariorum tela.

21. PRimum sic se habet: sicut passio sequitur ad essentiã sic vnitas, vel vnum, sequitur ad ens; sed alia accidẽtia, quantitate perfectiora in esse, & entitate, nõ sunt ex se vna: vnitate indiuiduali: ergo perperã hoc quãtitati tribuimus. Respõdetur concedẽdo maiorem, & minorẽ, & negãdo cõsequẽtiam: nã licet verum sit, quod vnitas indiuidualis, (sicut alię vnitates) sequatur ad entitatẽ, & similiter quod entitas perfectior perfectiorem vnitatẽ habeat indiuidualẽ, tamen ex hoc nõ sequitur, quod ens perfectior debeat ex se habere vnitatem indiuidualẽ; vt cõstat in forma, quę perfectior est materia, & tamen illa in ordine ad istam, vel ab ista, indiuiduatur; (vt constabit ex dicendis infra) & sic, ad indiuiduationem à se, nõ debemus attẽdere ad perfectionem entitatis, sed ad incommunicabilitatem ipsius, vt constat ex dictis: & ideo

ideo licet alia accidentia, nõ à se, sed à solo subiecto indiuiduentur, quantitas, ratione essentiæ formaliter independentis, est à se inadæquatè indiuidua.

22. Secundum sic procedit forma substantialis, quantitate nobilior, non est seipsa indiuidua, quia est in materia receptibilis; sed etiã quatitas est in toto composito receptibilis, cum essentialiter sit ens in alio: ergo nõ est ex se indiuidua. Respondetur distinguendo causalem; quia est receptibilis *adæquatè*, & quoad omnem formalitatem, concedo maiorem; quia *inadæquate* receptibilis, nego maiorem; & distinguo minorem; quantitas est receptibilis, quia accidens, concedo minorem; quia habens partes eiusdem rationis distinctas, nego minorem, & consequentiam. Vnde ratio quare forma substãtialis, constituens cum alia comparte vnum per compositionem, non valet à se indiuiduari, est quia tota ratio illius vt *hæc*, est in ordine ad materiam; at vero tota ratio quãtitatis *vt hæc*, non est in ordine ad essentiam in qua recipitur vt manet explicatum.

§. V.

De indiuiduatione substantialis formæ.

23. QVod in hoc parragrapho discutiendum est, est, an forma substãtialis, compositi materialis constitutiua, sit ex se indiuidua; & an sit compositi prima indiuiduationis radix? Ex dictis liquet, difficultatem non procedere de indiuiduatione formali, (quę ab alijs *metaphysica* appellatur *indiuiduatio*) nam certum est, quod hęc est intrinseca formæ; sed de radicali, seu de primo principio vnitatis numericæ. Vnde colliges diuersitatem harum propositionum *forma in se est indiuidua*; *forma à se, seu ex se, est indiuidua*: nam prima est vera, quia facit hunc sensum: forma in se habet indiuiduationẽ: secunda vero est falsa, quia facit hunc forma habet indiuiduationem, independenter, & absque ordine, ad aliud principium; non aliter ac istæ propositiones, propter eandem rationem, sunt diuersæ; *substantia in se habet partes entitatiuas; substãtia ex se seu à se illas habet.* His suppositis.

24. Dico, formam substantialẽ, compositi materialis cõstitutiuã, non esse *ex se*, nec *à se* indiuiduam, nec primam radicẽ indiuidualem compositi substantialis. Est Philosophi 10. Metap. text. 25. & Diui Thomæ in eodem loco lect. 11. vbi exponens verba Philosophi, sic fatur: *quia in cõposito est materia, & forma, hæc quidem est ratio, id est forma, qua constituit speciem; hæc autem est materia quæ est indiuiduationis principium.* Hæc eadem, vel similia verba pluribus habent in locis, & sic de illorum mente non est dubitandum.

25. Partes Carmelitæ, sequentes Patrem Gonzalez de Albel-

da, sic probant nostram conclusionem: vnitas, & distinctio specifica, formalis appellatur à Doctoribus; sicut numerica, materialis; sed specifica, vt formalis, dimanat à forma: ergo numerica, vt materialis, debet à materia dimanare: ergo forma, ex se nõ est prima suæ indiuiduationis radix.

26. Sed hæc ratio efficaciter nõ probat conclusionem; nam in formis per se subsistentibus, seu a materia omnino separatis, datur vnitas numerica, ab specifica, per rationem, distincta: ergo ex eo quod numerica, materialis appelletur, non sequitur quod debeat a materia oriri. Ex quo colliges vnitatẽ numericam, in rebus materialibus, non solum dimanare à materia, sed etiam à forma; & similiter specificam, non solum à forma, sed etiam à materia; nam forma, absque materia in recto intrante, non constituit speciem, seu vnitatem formalem, siue genericam, siue specificã compositi materialis; vt videre est in homine, qui essentialiter specificè constat ex anima, & corpore; dicitur autẽ communiter, (& benè) quod, in rebus materialibus, vnitas specifica sumitur à forma, & numerica à materia; quia vltimatè, tanquam in primum, & radicale principiũ, resoluitur vnitas specifica in formã, & numerica in materiam.

27. Quare hęc ratio alijs terminis debet formari, vt vim habeat: vnitas numerica, primæ substantię constitutiua, sumitur, tanquam ab elementali principio, ab eo, ratione cui res est incommunicabilis; cum ratio primæ substantiæ, (secundum Philosophum in prędicamentis, cap. de substantia) consistat in hoc, quod nec in subiecto sit, nec de subiecto dicatur; sed primum, & elementale principiũ, ratione cui forma compositi materialis redditur incommunicabilis, seu incapax subiecti, est materia prima; cum ratione huius sit forma incommunicabilis alteri: ergo ex se non est indiuidua: ergo prima radix hui compositi materialis nõ debet reduci in formam, sed in materiam; cum *primum in vnoquoque genere sit mẽsura cæterorũ.*

28. Secundò probatur conclusio: in creatis ad minus (secundum Philosophum, & veritatem) eadẽ est ratio distinctionis & vnitatis; vtique quia in creatis eadẽ est ratio distinctiua, & constitutiua; sed in rebus, ex materia compositis, materia, & nõ forma, est ratio prima distinctionis purè indiuidualis: ergo in illis materia, & nõ forma, erit etiam ratio prima vnitatis purè indiuidualis: ergo in formam non debet reduci indiuiduatio, tanquam in primum principiũ: ergo ex se non est indiuidua; consequentiæ constant ex minori; minor probatur: secundum Diuum Thomam. 1. p. q. 50. a. 4. ex eo Angeli non valent, intra eandem speciem numero multiplicari, quia tã actu, quam aptitudine, carent receptiuo, seu materia, ergo, in via Thomistica, prima ratio multiplicatio-

cationis purè indiuidualis, est receptiuum seu materia. Confirmatur ex Philosopho. 12. Metap. cap. 8. vbi probat, primum motorē esse vnum; nedum ratione, sed numero; hoc est, ne dum specie, sed numero; quia non habet materiam: ergo sentit materiam esse primum distinctionis numericæ principiū.

Tertio probatur cōclusio: Anima Diui Veremundi Hyrachensis dicit essentialem ordinem ad corpus (quod est in Regali, ac celebri Hyrachensi Vniuersitate) sed hic ordo ad hoc corp', nec est ad vnitatem genericam, nec specificam; cum iste vnitates habeantur in ordine ad materiam, seu corpus vt sic; & non in ordine ad hoc, corp': ergo hic ordo est ad vnitatem numericam, & indiuidualem; alias vt superfluus erat reijciendus: ergo in ordine ad hanc materiam, & nō ex se est indiuidua: ergo licet indiuiduatio toti' formaliter, (vt supposui in §. 10. huius quęst.) accipiatur ab hac forma, & ab hac materia; (vtique quia hæc humanitas essentialiter ex his coalescit partibus) tamen radicaliter non ab hac forma, sed ab hac debet accipi materia.

§. VI.

Aduersariorum fundamina.

29. PRimum aduersariorū fundamētū accipitur ex Philosopho. 1. physic. cap. 7. vbi ait, *formam constituere hoc aliquid*: ergo, secundū mentem Philosophi, forma est prima indiuiduationis cōpositi radix: alias non esset ratio huius cōstitutiua. ¶ Respondetur primo, cum Ioanne Gonzalez de Albelda, Philosophum loqui de constitutione formali, non vero de materiali; hoc est, de constitutione indiuidui, quoad vnitatem specificam; non verò de illius constitutione, quoad indiuidualem. Secundo respondetur, Philosophum loqui de principio *formali* indiuiduationis, quod partialiter, respectu compositi, (vt dixi in. 1. §.) est forma; non verò *de radicali*, quod, (vt vidimus ex ipso Philosopho) tantum est materia.

30. Secundū accipitur ex Doctore Sancto. q. vnica de anima. a. 1 ad. 1. vbi sic fatur; *vnumquodque secundum idem habet esse, & indiuiduationem*; sed secundum veritatem, & Diuum Thomam, primum existētiæ, seu actus essendi, principium, est forma; cum materia, non ex se sed ratione formæ existentiam, seu esse participet; (vt dictum est in li. 1. Physic. ergo secundum mētē D. Tho. primum indiuiduationis principiū est forma. Patres Carmelitæ admittunt D. Th. in prędicto loco, intelligere nomine *esse* existentiam; & respondent negādo idem esse principium existentiæ, & indiuiduationis: quia existentiæ est forma, & indiuiduationis materia. Et ad authoritatem D. Th. (huic solutioni expresse oppositam) dicunt, contrarium nō

assere in prædictis verbis, sed solum quod idem sit indiuiduum *vt quod*, & susceptiuum existentiæ. Veruntamen nec explicatio est ad mentem D. Th. nec nomine *esse* (in prędicta authoritate) existentiam intellexit: non primum; nam non dixit quod susceptiuum existentiæ est indiuiduum, sed quod vnũquodque secundum idem principium habet *esse*, & indiuiduationem; quod, absque dubio, est longe diuersum: non secundum, nam immediatè ad verba argumenti sic ait: *universalia enim nõ habent esse in rerum natura, vsque dum sint in indiuiduo*: ergo nomine *esse* non intellexit existentiam, in prædicto loco, sed essentiam; aliàs barbaro stilo diceret, *non habent esse in rerũ natura*, quod idem sonat, (si per ly *esse* intelligitur existentia) ac, non habent existentiam, in statu existentiæ. Quare in prędictis verbis solum vult D. Th. quod quælibet forma habeat essentiam in ordine ad id, à quo accipit indiuiduationem: & ponit, (in vltimis verbis solutionis) exemplum in anima, his verbis; *non tamen esse animæ perit, pereũte corpore, ita & indiuiduatio animæ, & si aliquam relationem habeat ad Corpus, non tamen perit, pereunte Corpore*: Vbi expresse suam explicat mentem, affirmando indiuiduationem animæ accipi, in ordine ad Corpus in ordine ad quod etiam habet essentiam.

31. Tertium accipitur ex eodem D. Th. 2. contra gent. cap. 75. & cap. 81: vbi ait: *quod sicut esse animæ intellectiuæ non causatur per se à materia, ita nec eius vnitas, aut indiuiduatio*: ergo ex mente D. Th. non à materia, sed à se, tanquam à primo principio, est indiuidua. Constat ex solutione argumenti præcedentis, huius solutio; nam in illa non vult, quod anima rationalis habeat indiuiduationem, absque ordine ad Corpus; (vt constat ex vltimis verbis argumenti præcedentis; & etiam ex q. de spiritualibus creaturis. a. 9: vbi ait; *quod sicut de ratione animæ est, quod sit forma Corporis; ita de ratione huius animæ*, (in quantum est hæc anima, *est*, *quod habeat habitudinem ad Corpus*) sed quod habeat illam dependenter à corpore, nõ tanquam à causa receptiua, sed tanquam à causa eductiua, vt sic indiuiduatio sequatur ad *esse* animæ, quod non est eductum ex materia.

32. Quartum à ratione sic se haber: primum indiuiduationis principium debet esse intrinsecum, & maximè proprium composito, vt est *hoc*; sed forma, *vt hoc*, est magis propria composito, *vt est hoc*, quam materia; cum hæc sit in omnibus compositis eadem: ergo à forma, & non à materia, sumit compositum indiuiduationem. ¶ Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem; nam cum forma sit *hæc* propter materiam, ideo magis propria est materia composito, *vt est hoc*, quam forma, quæ ratione materiæ positiuè *hæc* (in qua acceptione vt ex dicendis infra constabit, non est communis) est *hæc*, & indiuidua. In hoc sensu locũ habet illud repetitũ, *propter quod*

quod vnum quodq̃ tale, & illud magis.

33. Quintum sic procedit; vnitas specifica compositi accipitur à forma, tãquam à primo principio; vtique quia licet non valeat dari compositum absque materia, tamen forma complet, & tribuit vltimum complementum essentiale, & specificum composito; sed etiã hæc forma tribuit vltimum complementum indiuiduale composito, vt est *hoc*: ergo propter eandem rationem debet accipi unitas numerica compositi ab hac forma, tanquã à primo principio. ¶ Respondetur negando maiorem; nam non ideo accipitur tanquam à primo principio vnitas specifica à forma, quia vltimo complet, in lynea specifica, compositum, sed quia vltimo complet, vt primum vnitatis specificæ principium; & sic, licet hæc forma vltimo compleat, in lynea indiuiduali, compositum *hoc*, tamen quia hæc forma non est prima indiuiduationis & incommunicabiltatis radix, ideo non debet resolui in hanc formam, tanquam in primam radicem, vnitas indiuidualis huius compositi.

34. Sextũ: ex eo (in nostra opinione) materia est primum indiuiduationis principium totius compositi, quia limitat, & determinat formam; Sed etiam forma limitat, & determinat materiam: ergo etiã forma, propter eandem rationem, erit primum indiuiduationis principium. ¶ Respondetur distinguendo maiorem; materia est primum indiuiduationis principium, quia limitat per modum puræ potentiæ, non perficientis, sed materializantis, & deprimentis (vt ait Doctor Sanctus 2. Physicorum lect. 5.) concedo maiorem: quia limitat præcise, nego maiorem; & distinguo minorem; forma limitat per modum perficientis, concedo minorem; per modum potẽtię deprimentis, nego minorem, & consequẽtiam; nam cum forma sit actus perficiens, ideo solum valet limitare *ad esse* specificum, vt primũ principium; non vero *ad esse* indiuiduale non perficiens, sed materialicans; & sic originale principiũ indiuidualis vnitatis debet refundi in primum principium potẽtiale compositi, quod est materia.

35. Septimum sic se habet: si propter aliquam rationem forma indiuiduaturà materia, maximè quia hæc forma respicit hanc materiam; sed hoc est falsum; vtique quia *contrariorum eadem est ratio*, & hæc materia non respicit determinate hanc formam, sed indiferenter, pro varietate temporum est sub diuersis formis: ergo similiter hæc forma non respicit hanc materiam determinatè. ¶ Respondetur concedẽdo maiorem, & negẽdo minorem. Ad probationem concedo maiorem, & nego minorem: Nam nec hæc forma valet aliam, quam hanc determinatam positiue materiam respicere; nec hæc positinè numero materia potest aliam, quam hanc numero respicere formam; sed de hoc latius infra §. sequenti.

§. VII.

De indiuiduatione materiæ.

36. QVod in hoc inquirimus §. est, an materia secundũ se, vel vt signata quãtitate, sit cõpositi, & formæ substantialis prima indiuiduationis radix. Pro huius difficultatis intelligentia suppono, materiam vt numerice vna, posse bifariã accipi. Primo vt negatiue; secundò vt positiue vnam. Materia, vt negatiue numerice vna, dicit prædicata essentialia, & positiua, quæ ei secundum se conueniunt, cum ordine ad quantitatem vt sic; nõ vero cum ordine ad hãc, vel illam quantitatem, vel cũ præcontinẽtia huius, vel illius quãtitatis, ratione cuius materia est, & dicitur positiue vna. Et quod materia secundum se, vel secundũ sua prædicata essentialia dicatur cum maxima propietate vna, cõstat ex eo, quod in tali acceptione consideratur cum non repugnantia ad præcontinentias harũ quãtitatum, à quibus positiue indiuiduatur; non aliter ac essentiæ dicuntur secundum se negatiue singulares, & vniuersales, quia in tali statu non includunt prædicatum aliquod, cui vniuersalitas vel cui singularitas repugnet.

37. Dices; materia prima (in nostra opinione) ex se in ordine ad formas substantiales, gaudet unitatibus formalibus positiuis; videlicet, vnitate generica positiua, & specifica positiua: ergo etiã ex se, absque præcontinentia huius quantitatis, in ordine ad formas substantiales gaudebit vnitate indiuiduali positiua. ¶ Respondetur concedendo antecedens, & negando consequenciam: nam ex eo quod secundum se, in ordine ad formas substantiales gaudeat vnitatibus formalibus positiuis, non sequitur quod ex se, in ordine ad alias, & absque ordine ad quantitatem, vel absque præcontinentia quantitatis, gaudeat indiuiduali; quia (vt constat ex dictis) vnitas indiuidualis debet accipi in ordine ad principium, ex se alteri incommunicabile; & sic licet specifica valeat accipi in ordine ad formas substãtiales alteri incommunicabiles, numerica non in ordine ad illas, sed in ordine ad quantitatem, ex se alteri incommunicabilem, debet accipi.

38. Nec ex hoc sequitur, quod in omni statu, seu consideratione, gaudeat vnitate indiuiduali positiua, sicut gaudet specifica, & generica. Non (inquam) sequitur; aliàs in omnibus cõpositis, & sub omnibus formis, esset positiue eadem quod implicat, (vt ex dicendis constabit (& sic licet in omni statu, vel secũdum se, gaudeat vnitatibus formalibus, tamẽ in omni statu, vel secundum se, non valet numerica positiua gaudere vnitate. Constat hoc ex dictis in 1. p. Logicę, disp. 3. q. 2. conclusione 1. §. 7: vbi dixi, naturam in omni statu habere vnitatem formalẽ absolu-

lutam, realem, & positiuam, etiã si secundum se non gaudeat vnitate indiuiduali positiua, sed solum negatiua; haudaliter in præsenti, quamuis certum sit, quod materia in omni statu habeat vnitates formales positiuas, & quod in statu contradictionis semper sit positiue vna, per præcontinentiam alicuius quãtitatis: tamen secundum se considerata, vel vt per rationẽ præcissa ab omni præcontinentia huius quantitatis, non positiue, sed solum negatiue est vna numero.

39. Nota denique. Patres salmanticienses To. 1. in 1. p. tract. 1. de principio Indiuiduationis, disp. 1. dub. 2. §. 4. n. 48: asserere vt probabile, nomine quantitatis, qua signatur materia, nõ intelligi quãtitatem mathematicè, sed physicè acceptam; idest, non intelligi quãtitatem secundum se, vt spectat ad Mathematicum, sed vna cũ qualitatibus, & accidentibus sensibilibus, quibus spectat ad Physicum. Sed hæc suppositio absque dubio est falsa: nam ex eo ipsi dub. 5. docent, quantitatem sigillare materiam ad primam indiuiduationis originẽ, quia ex se est quodammodo, (hoc est, inadæquate) indiuidua; sed alia accidentia sensibilia, quibus quantitas spectat ad Philosophum, non ex se, sed ex ordine ad subiectum sunt indiuidua: ergo hæc non spectant ad primum indiuiduationis principium. His suppositis.

40. Dico, materiam secundum se, seu vt præcissè sumptam, non esse positiue indiuiduam, nec primum indiuiduationis principium. Est Aristotelis 5. metaph. tex. 12: & D. Th. ibidem lect. 9. vbi sic exponit Philosophum; *quædam sunt vnum numero; quædam specie; quædam genere, quædam analogia.* Numero *quidem sunt vnum, quorum materia est vna; materia enim, secundum quod sub dimẽsionibus signatis, est principium indiuiduationis formæ.* Hoc idem docet super Boetium q. 4. de Trinitate. a. 2. ad 1: & 4. sent dist. 12. q. 1. a. 1. quæstiunc. 3. ad 3: & 3. p. q. 77. a. 2: & vbicunque de hac agit materia, docet materiam nõ ex se, sed vt dimensionibus signatam, esse primum indiuiduationis principium. Nec contra hoc testimonium stat aliud eiusdem Magistri opusculo de principio indiuiduationis, vbi sic loquitur. *Materia enim se sola est principium indiuiduationis, quoad illud in quo saluatur ratio primi.* Non (inquam) nam Doctor Sanctus nõ negat in hoc opusculo quantitatis cõsortium ad primum principium Indiuiduationis, sed ait, solam materiam esse primũ principium, quia quantitas vt præcontenta nõ ponit in numero cum materia, (vt constabit ex dicendis infra, ex ipso Angelico Magistro.) Hac solutione respondendum est ad aliàs authoritates, quas adducunt aduersarij Contra nostram conclusionem, in gratiam suæ sententiæ.

41. Ratione probatur conclusio: si materia, secundum se, esset pri-

primũ indiuiduationis principiũ, sequeretur quod omnes formæ, & omnia composita eandem haberẽt numericam vnitatem; hoc implicat: ergo & quod secundum se sit prima radix indiuiduationis. Probatur sequela. Materia ex se est indiferens ad omnes formas, & ad omnia composita: ergo si ex se esset indiuiduationis principium, omnes formæ & omnia composita eandem haberẽt numericam vnitatem: ergo necessarium est quod aliquo signetur accidenti, vt magis sit huius, quam illius compositi primum indiuiduationis principium. Hanc rationẽ expresse proposuit D. Th. cap. supra citato de Trinitate super Boetium, his verbis: *Cum dicit Philosophus, numero sunt vnum, quorum materia est vna, intelligendum est de materia signata, quæ sub est dimensionibus; alias oporteret dicere, quod omnia generabilia, & corruptibilia sunt vnum numero, cũ eorum sit materia vna*: ergo secundum mentem D. Th. non materia secundum se, (in qua acceptione omnibus est communis compositis) sed vt signata quantitate *hac*, in qua acceptione solum est *huius*) est prima indiuiduationis radix.

42. Dices primo: Prima indiuiduationis radix compositi substãtialis non valet esse aliquid accidentale: ergo materia, non vt signata quantitate, sed secundum se accepta est primum indiuiduationis principium. Antecedẽs vt certum ab omnibus admittitur; consequentia probatur: si materia nõ secundum se, sed vt signata quantitate, est prima indiuiduationis radix: ergo ratione quantitatis indiuiduat: ergo tota indiuiduationis series reducitur in aliquod accidẽs, videlicet in quantitatem: ergo vt in illud non reducatur dicendum erit, materiam secundum se, & non vt signatam, esse primum indiuiduationis principium.

Respõdetur primo, distinguẽdo antecedens; non valet indiuiduatio substantialis reduci in accidẽs, tanquam in principium rectũ, concedo antecedens; tanquam in obliquum recti, nego antecedens, & consequẽtiam: nam licet verum sit, quod accidens in nullo genere causæ valeat influere in substantiam, per modum principij recti, nec per modum obliqui, à quo dependeat, bene tamen per modum obliqui cum quo connectitur necessario: Non aliter ac conceptus naturæ, etiam si substantialis sit, connectitur essentialiter, & in dispensabiliter, in obliquo, cum motu, qui accidens est. Et similiter omnipotentia Dei, etiam si quid sit increatum, & omnino ab aliquo extrinseco independens, connectitur indispensabiliter cum creaturis possibilibus.

Secundo respondetur concedẽdo antecedens, & negando consequẽtiam. Ad probationem distinguo primum consequens: materia indiuiduat ratione quãtitatis præcontentæ, concedo cõsequentiam; informantis, nego consequentiã: nam quantitas, (vt constabit ex dicen-

dicendis infra) non indiuiduat vt inhærēs, sed vt præcōtenta in materia, tāquā in causa; in qua acceptione substantia est; iuxta illud August. & D.Th. *effectus in causa est ipsa causa*: quare series indiuiduationis non reduciditur in aliquod accidens, sed in substantiā, etiam si quātitas, vt præcōtenta, intret vt primum indiuiduationis principium.

43. Dices secūdo; forma absq; vlla sigillatione tribuit cōposito vnitatē specificam, & formalem: ergo etiam materia absque illa poterit tribuere composito vnitatem numericam & materialem. ¶ Respondetur concedendo antecedēs, & negando consequentiam: nam forma ex se est determinatè in aliqua specie, hominis vel Leonis; & sic absque aliqua sigillatione tribuit composito specificam vnitatem: At vero materia ex se omnibus compositis est communis, & ideo indiget aliqua sigillatione, vt magis sit huius, quam illius compositi.

44. Dices tertio: ex eo materia est primum indiuiduationis principium, quia sigillatur determinata quantitate; sed etiam forma valet eadem sigillari quātitate: ergo valet etiam esse primū indiuiduationis principium. ¶ Respondetur distinguendo maiorem: materia est prima radix indiuiduationis, quia præcontinet, seu sigillatur quantitate, vt prima radix incommunicabilis, & irreceptibilis, concedo maiorem; præcisse quia sigillatur, nego maiorem: & distinguo minorem; forma etiam præcontinet, seu sigillatur, vt actus ex se communicabilis, concedo minorem; vt potentia prima ex se incōmunicabilis, nego minorem, & cōsequentiam. Nam cum irreceptibilitas, seu incommunicabilitas sit propria, & formalis ratio vnitatis indiuidualis, & hæc non reperiatur in actu vt signato, sed solum in materia vt signata, ideo hæc & nō ille assignatur vt prima indiuiduationis origo.

45. Secundo probatur ratione: Prima primæ substantiæ radix est prima indiuiduationis radix; cū secundum Philosophum in metaph. cap. de substantia, prima substantia sit indiuiduum; sed prima primę substātiæ radix est materia, quātitate signata, & non materia secūdum se: ergo materia quātitate signata est prima indiuiduationis radix. Minor probatur; prima primæ substantiæ radix est illa, ratione cuius prima substātia est incommunicabilis, & irreceptibilis; cum primę substantia, (secundum Philosophum capite supra allato) sit illa, *quæ neque est in subiecto, nec de subiecto dicitur*; sed materia prima, vt signata quantitate, est prima substantiæ materialis incommunicabilitatis radix; vtiq; quia ipsa, vt signata, neque est in alio, nec alteri communicatur composito; (sicut communicatur secundum se accepta) ergo ipsa, vt signata est prima indiuiduationis rerum materialium radix.

46. Com-

46. Cõfirmatur. Primum & radicale indiuiduationis principium est illud, quod primario est incommunicabile; iuxta illud Philosophi. 10. metaph. text. 10. *Primum in uno quoque genere est mensura & causa omnium, quæ sunt post*; sed materia prima, vt signata quantitate est primũ quod in composito materiali est incommunicabile; cum nec sit in subiecto, nec in alio cõposito materiali: ergo materia prima, vt signata quantitate, & non secundum se, est primum vnitatis indiuidualis principium: nam materia secundum se, licet non sit in subiecto, est tamen alteri composito communicabilis.

47. Dices primo: Genus, quod ex se, vt vniuersale est pluribus cõmune, in opinione D. Th. & Thomistarum, accipitur tãquam à prima radice à materia, etiam si hæc sit ex se incommunicabilis alteri: ergo è conuerso indiuiduum, quod ex se est incommunicabile, valet accipi à forma ex se alteri communicabile; vtique quia si communicabile potest accipi à re incommunicabili, etiam incommunicabile valebit à re accipi communicabili; cum tantum distet cõmunicabilitas ab incommunicabilitate, ac incommunicabilitas a communicabilitate. ¶ Vt respondeas nota, materiam posse dupliciter accipi: primo vt constituit speciem, vel vt secundum se considerata; secundo vt constituit indiuiduum, seu vt signillata *hac*, & non *illa* quantitate. In prima consideratione communis est pluribus, & sic ab illa (in secunda acceptione accepta) accipitur tanquam à prima radice genus, quod ex se communicabile, & potentiale est: In secunda vero, in qua peculiaris est, accipitur ab illa ratio indiuidui; & sic nec communicabilitas generis accipitur à materia, vt incommunicabilis est; nec incommunicabilitas indiuidui, à materia vt communicabilis est: Per quod patet ad obiectionem.

48. Dices secundo: Primum prædicabilitatis, seu subijcibilitatis subiectum distinctum est à primo inhęsionis subiecto; vtique quia illud, absque isto, reperitur in Angelis: ergo subiectum prædicabilitatis non debet accipi ab inhęsione: ergo substantia prima, seu indiuidualis vnitas, non debet accipi à materia prima. ¶ Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: nam licet verum sit, quod primum subiectum prædicabilitatis distinguatur à primo subiecto inhæsionis, tamen indiuiduum, quod metaphysice est alteri incommunicabile accipitur, tanquam à primo principio, à subiecto primo physico quantitate signato; quod, vt sic, est etiam alteri physice incommunicabile: Non aliter ac licet substantia secunda specifica distinguatur à forma, tamen illa accipitur ab ista, tãquam à primo principio. Neque instantia adducta aliquid valet: nã (vt dixi) essentiæ Angelorum non indiuiduantur à materia, quæ in

illis

illis non est; sed à simplicitate suæ formæ, quæ in illis gerit vices materiæ. Constat hoc ex Sancto Doctore opusculo de natura materiæ cap. 3: Vbi sic loquitur: *& ideo formæ separatæ, eo ipso quod in alio recipi non possunt, habent rationem primi subiecti; & ideo seipsis indiuiduantur.*

§. VIII.

Argumenta quæ obstant.

49. PRimum sic se habet; materia prima nec in ordine ad formam substantialem, nec in ordine ad quantitatem, indiuiduatur; vtique, quia eadem numerò semper manet sub diuersis formis, & sub diuersis dimensionibus: ergo ex se est vna numero. ¶ Respondetur negando antecedens, quoad secundum partem. Ad probationem dico, materiam primam sub diuersis formis & dimensionibus non seruare eandem vnitatem numericam positiuam; licet seruet eandem negatiuam, à qua nec cõposita, nec formæ indiuiduantur, cum hæc in omnibus sit eadem.

50. Dices, differẽtia indiuidualis non est realiter distincta ab entitate indiuidua; sed quãtitas realiter distinguitur à materia: ergo hæc non est ab illa, sed à se, indiuidua. ¶ Respondetur concedendo maiorem, de indiuiduatione formali, & negando illã de radicali, vel de principio primo formalis indiuiduationis; quod in re est à formali distinctum, quando radicale est in eodem prædicamento cum formali: vt videre est in forma, quæ indiuiduatur à materia, tanquam à prima radice indiuiduationis, etiam si hæc sit ab illa realiter distincta. Nec ex hoc sequitur, quod quantitas indiuiduãs sit à materia distincta; nam quantitas indiuiduans, non secundum se, sed vt præcontenta in materia, tanquam in causa, est principium indiuiduationis.

51. Replicabis: materia secundum se, & absque aliqua præcontinentia, est prima compositi radix: ergo absque aliqua præcontinentia erit etiam huius compositi prima radix. ¶ Respõdetur distinguendo antecedens; est prima cõpositi radix, quoad *esse* specificum, cõcedo antecedens; quoad *esse* indiuiduale; nego antecedens, & cõsequentiam: nam cum *esse* in indiuiduale compositi sit ita proprium illius, vt non sit alterius, ideo necessario indiget præcontinẽtia huius quantitatis, à qua determinatur ad huius compositi, *vt huius*, constitutionem.

52. Secundum sic: materia ex se non *est hæc*: ergo non est primum indiuiduationis principium; vtiq; quia primum principium non debet esse ex alio. Antecedens probatur: materia solum ratione quãtitatis *est hæc*: ergo ex se non *est hæc*. ¶ Respondetur distinguendo antecedens; materia nõ est ex se *hæc*, ratione propriæ entitatis, vt sigillatæ, nego antecedẽs; ratione propriæ entitatis, secũdum se sumptę, con-

concedo antecedens, & nego consequentiam: nam vt sit ex se *hæc*, sufficit quod absque superadditione alicuius entitatis, actu distinctæ, sit hæc; etiam si sit *hæc* per aliquid ab ipsa in potentia distinctũ, videlicet per præcontinentiã quãtitatis, ab ipsa non actu, sed in potentia solum distinctam.

§. IX.

Circa sigillationem, in materia ad indiuiduationem requisitam, primus modus opinandi.

53. QVod in hoc paragrapho discutio, est; quid intelligatur per materiam signatam quantitate; & etiam, qualiter materia, vt signata, sit indiuiduationis principium. Aliqui discipuli D. Th. asserunt, materiam quantitate signatã, solum esse, quoad nos, signum indiuiduationis compositi; quod, quoad *esse* à materia, & à substantiali forma indiuiduatur; & consequenter asserunt, indiuiduationem totius debere resolui in materiam, & formam, quoad *esse*; vtique quia adinuicẽ, in diuerso genere causæ, se & simul compositum indiuiduant; etiam si quoad cognosci materia, vt connotans quantitatem hanc, & non illam, sit indiuiduationis formæ, & compositi elementale principium.

54. Sed hęc expositio non potest sustineri: Primo quia in omnibus locis, in quibus D. Th. asserit vnitatem indiuidualem debere resolui in materiam, signatam quantitate, tanquam in primam radicem; asserit etiam vnitatem specificam debere resolui in formam; sed specifica non resoluitur in formam, quoad *cognosci*, sed *quoad esse*; hoc est, non resoluitur in formam, tanquam in signum, sed tanquam in causam veram, & rigorosam: ergo similiter (iuxta mentem D. Th.) numerica non debet resolui, tanquam in signum, seu quoad cognosci, sed tanquam in causam veram, in materiam, quantitate signatam.

55. Secundo: Primum principium vnitatis indiuidualis (vt sæpe sæpius dixi (coincidit cum incommunicabilitatis principio; sed forma materialis ex se est alteri communicabilis: ergo indiuiduatio materię non debet resolui, tanquam in primam causam, in formã substantialem. Confirmatur, nam (vt constat ex dictis supra §.2:) ex eo Angeli indiuiduantur à se, tanquam à primo principio, quia sunt ex se incommunicabiles, tam actu, quã aptitudine; sed forma substantialis, tam actu, quam aptitudine, est ex se materiæ communicabilis: ergo indiuiduatio materię & compositi non valet à forma, tanquam à prima radice, accipi *quoad esse*.

56. Tertio; nam ex hoc sequeretur, quod materia, *vt hæc*, esset actualior & perfectior forma, *vt hæc*; vtique quia illa indiuiduationem à principio actualiori, & perfectio-

fectiori, scilicet à forma acciperet; ista verò à potentialiori, & imperfectiori, videlicèt à materia: sed hoc est absurdum: cum forma quoad omnes gradus debeat esse materia actualior, & perfectior: ergo materia non indiuiduatur, tanquam à causa propria & rigorosa à forma substantiali.

§. X.

Secundus opinandi modus.

57. SEcundus opinandi modus asserit, quod nomine materiæ, quantitate signatæ, intelligitur concretum constans ex materia, & ex quantitate, tanquam ex forma actu inhærente. Sic Ferrara primo contra Gent. cap. 21. Sõcinas 2. metaph. quæst. 24. Nazarius 2. part. quæst. 5. art. 5. controuersia vnica: Capreolus in 1. distinct. 4. quæstio. 2. arti. 3. in solutionibus argumentorum. Sed hic modus opinandi peritioribus displicet Thomistis: Primo, quia (vt constat ex Philosopho, in prædicamento substantiæ) *prima substantia, seu indiuiduum est maxime substantia*; sed si prima substantia constant ex quantitate, vt ex forma actu inhærente, falsò appellaretur à Philosopho *maximè substantia*; vtique quia in primo principio includeret in recto aliquod accidens: (quod aliæ substantiæ, videlicet secundæ, non includunt) ergo vt vera sit propositio Philosophi tenendum est, quantitatem actu inhærentem in materia non esse primum indiuiduationis principium.

Secundò: nam quantitas, (vt dixi in libris de generat. quæs. 2.) non inhæret immediatè in primo subiecto, sed in toto composito: ergo antecedenter ad hoc vt quãtitas adueniat, est iam forma substantialis, *vt hæc*, recepta in hac numero materia: vtique quia actus, actu à parte rei non valet recipi nisi in subiecto singulari: ergo materia, vt actu quãtitate affecta, nõ est primũ principium ad indiuiduationem formæ, & cõpositi.

Tertio: nam primum indiuiduationis principium: cum intrinsecum sit respectu totius, constituit primam substantiam, seu indiuiduum; sed prima substantia, vt fundamentum prædicamenti substantiæ, non valet constitui ex aliquo ente in alio, extra substantiæ existente prædicamentum; ni dicas, primam substantiam non esse vnum per se, sed per accidẽs: ergo materia, vt actu quantitate affecta, non est primum indiuiduationis principium: ergo materiæ nomine quantitate signatæ, non valet intelligi materia actu quantitate affecta.

58. Dices: indiuiduum esse, per modum essentię, indiuisum in se, & per modũ proprietatis, diuisum à quolibet alio, & sic posse à quãtitate actu inhęréte cõstitui, quoad esse diuisum à quolibet alio, absq; eo quod prima substãtia, seu indiuiduum substãtiale, cõstet quoad

essentialia ex aliquo accidēti. Sed contra est primò: nam (secundum Philosophū) ratio distinctiua coincidit, per viam identitatis, cum ratione constitutiua; quia ratio quę diuidit, cōstituit: ergo si indiuiduum est, per quantitatē actu inhęrentē, diuisum à quolibet alio, erit etiam, per eādem quantitatē, indiuisum in se, vltima diuisione.

Contra est secundò: In lynea specifica eadem ratio, quæ discernit vnam speciem ab alia, constituit: ergo similiter in indiuiduali, ratio quæ discernit, constituit: ergo si quantitas, vt inhærens, actu diuidit indiuiduum substantiale, etiā ipsa debet illud constituere,

59. Replicabis: vt cōstat ex dictis §. 3. quantitas diuidit vnum indiuiduum substantiale ab alio, etiam si illud non constituat: ergo inconsequēter nunc asserimus eādem esse rationem constitutiuam, & distinctiuam indiuidui.

Respondetur negando maiorē, & in consequentiam: nā in tali paragrapho nō fuit resolutum, quod quantitas in recto, per modū formæ actu inhærentis, (vt nunc hi Thomistę docent) sit ratio distinguendi vnum indiuiduum à quolibet alio, sed quod ipsa, vt pręcōtēta, seu in obliquo connotata, sit ratio distinguendi; in qua acceptione etiam est ratio constituēdi.

60. Non quiesces: Idē datur inconueniēs in hoc quod quantitas intret ad cōstitutionem: & distinctionem indiuidui, per modum cōnotati extrinseci, ac intrinseci: ergo si valet intrare per modum extrinseci, etiam valebit per modum intrinseci. Respondetur negando antecedens; nam quātitas vt actu inhærens materię, vel per modum connotati intrinseci, aut obstaret ad cōstitutionem vnius per se, aut supponeret materiā indiuiduā popositiuè; qualiter nec obstat, nec supponit per modū extrinseci cōnotati.

§. XI.

Argumenta opposita sententiæ.

61. PRimum argumētum, quod in fauorem huiusmodi sententiæ valet adduci, sic se habet Philosoph. 10. metaph. c. 3. tex. 4. duplex in cōposito distinguit distinctionis principium: vnū à forma; & aliud à quātitate dimanās; sed primum nō aliunde distinguit specificè, nisi media actuali informatione: ergo secundum nō aliunde debet numericè distinguere, nisi media actuali inhærentia, seu informatione. ¶ Respondetur negando consequentiam. Nam licet verum sit, quod substantialis forma non aliter valeat constituere speciem, & illam distinguere ab alijs, nisi media actuali informatione; attamen cum quantitas nō sit, secundum se accepta, seu vt sigillans materiam, primum indiuiduationis, & distinctionis numericę principiū, ideo non valet vt informans, (in qua acceptione obstat ad vnum per se prædicamenti substantiæ) sed vt præcontenta, (in qua acceptione nō obstat) tribuere

buere composito vnitatem, & distinctionem numericam.

62. Secundũ accipitur à D. Th. 3.p.q.63.a.1.& in 4.dist.12.q.1.a. 2.quęstiunc.3.ad 3.vbi ait. *Quod cum duo sint de ratione primæ substantiæ, seu indiuidui, scilicet, indiuisum in se, vltima diuisione, & diuisum à quolibet alio: vnum horum, principiũ scilicet incõmunicabilitatis, seu indiuisibilitatis à se, est materia; alterũ vero distinctionis, seu diuisibilitatis ab alijs, est quantitas*; & sic concludit, *totale indiuiduationis principium primum, esse materiam signatam quantitate.* Ex his verbis sic efformant argumentum, pro suæ sentẽtia. Materia, non vt in potentia præcõtinens quantitatem, sed vt actu cõmunicata indiuiduo, est prima radix indiuiduationis, quoad esse *indiuisum à se*: ergo quantitas nõ aliter, quam vt actu inhærens materiæ, erit prima indiuiduationis radix, quoad *esse diuisum ab alijs.*

Respondetur negando antecedens: nã vt materia cõmunicet indiuiduationẽ formæ, non est opus quod actu illã recipiat; sed sat est, quod sit terminus à forma connotatus, vt constat in anima D. Petri, quæ nunc indiuiduatur à materia à qua nõ recipitur; quia est terminus extrinsecè ab illa cõnotatus: per quod patet ad consequẽtiã: nã vt quantitas sit primũ indiuiduationis principiũ nõ est necessũ quod sit actu inhęrẽs, sed quod in materia sit pręcontenta; vt amplius ex dicendis infra constabit.

63. Sed dices: secundum doctrinã Doctoris Sãcti, materia prima est primum principium indiuiduationis, quoad esse incõmunicabile, seu quoad esse indiuisum in se, vltima diuisione, & quãtitas eiusdẽ indiuiduationis principiũ, quoad esse diuisum ab alijs; sed materia; secundum se accepta, nõ est radix indiuiduationis, quoad esse incõmunicabile: cum, vt sic, sit omnibus cõpositis cõmunis: ergo vt signata quãtitate, seu vt præcõtinens quãtitatẽ est prima radix indiuiduationis, quoad esse incõmunicabile: ergo quãtitas, nõ vt præcontenta, sed vt actu inhærẽs erit primũ principiũ indiuiduationis, quoad esse diuisum ab alijs: cum nõ sit alius modus excogitabilis.

Variè, & insufficienter respondẽt Salmanticenses huic argumẽto: facili tamẽ respõdetur solutione, concedendo maiorẽ, & minorẽ; & negando consequẽtiam: nam licet vtrumque munus indiuiduationis dimanet, tãquã à prima radice à materia signata quantate; tamẽ esse incõmunicabile indiuidui, (secundum mentem Doctoris Sãcti) dimanat absolutè à materia; quia incipit incommunicabilitas, tanquã à prima radice, à principio in alio nõ recepto, principaliter & in recto; & à quantitate sigillante secundario, & in obliquo, propter oppositã rationem; sentit indiuiduationẽ, quoad esse diuisũ ab alijs, dimanare à quantitate, & non à materia; nõ quia quantitas se sola vnã substãtiã ab alia distinguat; (cum in creatis ad minus eadem

dem sit ratio cõstitutiua & distinctiua) sed quia distinctio principaliter, tanquã à mensura, dimanat à quantitate, quę ex proprijs meritis habet, absq; ordine ad aliud, distinctionẽ & diuisionem partium. Potest hoc explicari in homine, in quo licet eadẽ sit ratio cõstitutiua & distinctiua, tamen eadẽ differẽtia in ordine ad genus, cõstituit, & in ordine ad alias species, discernit: sic materia, vt præcontinens quantitatẽ hanc, & nõ illã, est primum principiũ, seu prima mẽsura indiuidui, quoad esse incommunicabile; & quantitas, vt præcõtenta in materia, est primum principium, seu prima mensura eiusdẽ in diuidui, quoad esse diuisũ ab alijs. 64. Tertiũ sic: vt materia sit prima indiuiduationis huiʼ formę radix, opus est quod sit distincta ab alijs materijs; sed solum à quantitate, actu in ipsa inhærẽte, redditur distincta: ergo solum quãtitas vt inhærens indiuiduat. ¶ Respõdetur concedendo maiorem, & negãdo minorẽ: nã vt materia sit actu distincta ab alijs, non est opus quod quantitate hac afficiatur; sed solũ quod illã præcontineat, seu cõnotet. Vt cõstat in materia Parẽtis nostri Benedicti, quę non afficitur quãtitate propria; & tamẽ per solã pręcontinentiam propriæ quãtitatis illam de facto indiuiduat.

65. Dices: materia prima, & cõpositũ substãtiale, nõ virtualiter, sed formaliter, participant vnitatem numericam: ergo quantitas, quę est prima huius vnitatis formalis radix, debet esse intrinsecè, & per modum formæ inhærentis, in materia; hoc est, debet esse formaliter, & non virtualiter in illa, vt ei talem tribuat vnitatẽ; vtique, quia licet in genere effectiuo possit dimanare aliquid formaliter tale à principio virtualiter tali: tamen in genere causæ formalis, aut materialis, non valet. Vt constat in homine, qui non valet dici formaliter sensitiuus, nisi ab anima formaliter sensitiua. ¶ Respondetur concedendo antecedẽs, & negando consequentiã. Nã hæc formalis indiuiduatio materiæ, seu compositi non dimanat in recto à quantitate, virtualiter, seu in potentia materię pręcontẽta; sed ab entitate formali materię, quę formaliter & intrinsecè præcõtinet, seu cõnotat quantitatem: & quod denominatio formaliter talis multoties requirat aliquid virtualiter tale per modũ cõnotati, cõstat in omnipotẽtia Dei, quę Deũ formaliter omnipotẽtẽ denominat: etiã si ad hãc denominationẽ sint necessaria, per modum cõnotati, possibilia in ipsa virtualiter pręcõtẽta.

66. Quartum sic: secundum Philosophum omnis potentia limitatur, & determinatur per actum; sed materia prima ex se est pura potentia: ergo necessarium est quod intrinsece actuetur, & determinetur per quantitatem; vtique quia aliàs maneret ita indifferens, ac manet ex se, si aliquo actu non actuatur. ¶ Respondetur distinguendo maiorem: omnis potẽtia

tia limitatur per actum, vel per ordinem ad illum, concedo maiorem; per actum actu informantem tantum, nego maiorem; & concessa minori, nego consequentiam; nam (vt constabit ex dicendis infra) ipsa entitas materiæ ex dispositionibus dimanantibus ab agente ad introductionem huius formæ, manet, absque aliquo superaddito, ex ordine ad propriam quantitatem, sufficienter determinata ad indiuiduationē huius, & non illius compositi. Sed de hoc latius infra, §. 14.

§. XII.

Tertius modus opinandi.

67. TErtius (in hac re) opinandi modus asserit quod per materiam quantitate signatā, intelligitur materia, modo substātiali, ab ipsa ex natura rei distincto, affecta; quo determinatur ad hāc potius, quam ad illā quantitatem. Ita aliqui discipuli D. Thom. Sed expositio hæc nō valet sustineri. Tū propter rationes sup. §. 10. allatas, quæ æqualiter contra istum modum cōuincunt. Tum ratione speciali à Salmanticensibus adducta: nam ex eo materia, (in opinione D. Tho. est primus fons indiuiduationis totius compositi, vel formæ substātialis, quia habet rationem primi subiecti, in alio nō recepti, ergo prędictus modus ab ipsa distinctus non valet tribuere materiæ quod sit primus indiuiduationis fons; siquidem habet rationem oppositam rationi, per quam materia habet esse primum indiuiduationis principium; videlicet, habet receptibilitatem oppositam irreceptibilitate proprię indiuidui: ergo per materiam signatam quantitate non venit materia, tali modo substantiali determinata, ad hanc, & non ad illam quantitatem.

68. Confirmatur: ex eo (secundum D. Thom. & secundum dicta à nobis, §. 3.) quantitas in ratione formæ inhærentis non valet esse cum materia primum indiuiduationis principium, quia in hac formalitate exprimit communicabilitatem incommunicabilitati indiuidui oppositam, sed prædictus modus, vt afficiens materiam, explicat communicabilitatem incommunicabilitati indiuidui oppositam: ergo vt sic non valet cum materia esse primam indiuiduationis radicem.

69. Dices: materia prima, absque aliquo modo substantiali, est pura potentia; sed pura potentia actu nō valet indiuiduare, absque eo quod sit in actu per aliquē modum actualem, eam actu informātem: ergo per materiam signatam quantitate intelligitur materia affecta modo substantiali, illam ad determinatam quātitatem ordinante.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem: nam materia in ratione puræ potentiæ proximæ, valet absq; aliquo modo,

do, actu indiuiduare compositum: non aliter ac ipsa materia, in ratione puræ potentiæ, absque eo quod fiat actu per aliquē modum, seu formalitatem à parte rei distinctam, appetit actu formas substātiales, non possessas. Ratio est eadem: nam indiuiduatio debet resolui, tanquam in primum fontem, in principium incommunicabile; quod est, non modus materiæ superadditus, sed ipsa materia in ratione puræ potentiæ; sicut appetitus, debet reduci in formalitatē actibus priuatam; hoc est, in formalitatem puræ potentiæ, quod idem est; & sic superadditio alicuius formalitatis destruit, & principiū indiuiduationis, & appetitus.

§. XIII.

Propria Dini Thomæ mens.

70. HIs impugnatis placitis, iuxta mentem D. Thom. tenendum est, per primum substātię materialis indiuiduationis principium, seu per materiam quantitate signatam, intelligi materiam primam, proximè ex vi dispositionum antecedentium præcontinētem, seu proximè connotantem quantitatem huius, & non illius compositi. Ex D. Tho. opusc. 20. quæst. 4. art. 2. & pluribus alijs in locis à Salmanticensibus loco supra citato adductis.

71. Ratione ergo probatur primo, à sufficienti partium enumeratione. Secundò, quia primum substantiæ materialis indiuiduationis principium debet esse omnino incommunicabile intra prædicamentum substantiæ; sed materia, vt sic, signata quantitate, manet omnino incommunicabilis intra prædicamentū substantiæ; vtique quia vt sic, nec est in alio, nec alia composita valet constituere: ergo vt sic est prima indiuiduationis radix.

82. Tertio probatur: in ratione primi indiuiduationis principij constituitur materia, per id per quod per se primò est huius, & non illius compositi; sed materia antecedenter ad hoc vt informetur quātitate, vel antecedēter ad hoc vt per aliquid determinetur ad illam, est à præcōtinētia huius quātitatis appropriata, & determinata ad indiuiduationem huius, & non illius compositi; vtique quia antecedenter ad inhęrentiā quantitatis determinatur à dispositionibus remotis ad receptionem huius formæ, media quantitate ergo materia vt sic sigillata est primus indiuiduationis fons.

§. XIV.

Argumenta quæ obstant.

73. PRimum argumentum sic se habet: materia prius continet hanc formam substantialem, quam hanc quātitatem: tum quia prius recipit hanc formam, quam hanc quantitatem; & effectus debent præcontineri in omni causa,

eo

eo ordine quo causantur: tum quia potentia substantialis prius debet respicere actum substãtialẽ, quam accidentalem: tum quia materia nõ respicit hanc numero formam, propter hanc numero quantitatẽ; sed potius è contra: tum quia quãtitas est forma secunda, quę debet præcontineri media forma prima: ergo antecedenter ad hoc vt materia præcontineat hanc numero quantitatem, est forma substantialis indiuidua, ergo non indiuiduatur à materia, signata quantitate præcontenta.

74. Vt respondeas, nota ex dictis 2. Physicor. dispu. 2. quæst. 1. §. 2. & ex dictis in libris de generat. quæst. 3. §. 7. materiam posse dupliciter accipi: Primo, secundum potentiam, seu præcontinentiam, remotam, secundum quam, ordine transcẽdentali, omnes respicit actus substantiales, medijs proprijs dispositionibus. Secundo, secundum potentiam proximam: secundum quam determinatum respicit actum substantialem, medijs dispositionibus proprijs talis actus.

Ex hoc constat, materiam non esse principium indiuiduationis, ratione potẽtiæ remotæ: cum hæc sit omnibus formis & compositis communis; sed ratione proximæ peculiaris, à materia consequitæ, antecedenter ad instans generationis initiatiuè, per dispositiones remotas ab agente introductas, in composito corrupto immediatè, & mediatè in ipsa materia; & vltimatè, in instanti generationis, à sigillatione realiter indistincta, & derelicta in materia ab his dispositionibus, in ordine ad propriam quantitatem, actu naturaliter habendam ab ipso agente in eodem generationis instanti.

75. Nota secundo; quantitatem posse dupliciter accipi: primò in ratione formæ secundæ & accidẽtalis: & in hac acceptione certum est quod subsequitur ad formã primam & substantialem. Secundò in ratione dispositionis, & in hac antecedit primam formam, ad quam disponit: non aliter ac in opinione probabilissima, licet contritio, vt meritoria, subsequatur ad gratiã, tamen, vt dispositio, illam antecedit.

76. Tertio nota ex dicendis q. sequenti, quod licet forma substãtialis in genere causæ formalis, & materialis receptiuæ, antecedat dispositionem proximam, seu cõcomitantem: tamẽ in genere causæ materialis dispositiuæ ad illam subsequitur. Et sic licet per se primò sit semper inspectus à materia actus substantialis, vt primarius, tamen semper est inspectus medio accidentali, nõ in formalitate seu in munere accidentis, sed in munere dispositionis: non aliter ac licet potentiæ actiuæ semper respiciant per se primò obiecta, tamen illa semper respiciunt medijs actibus per se secundò attactis.

77. Ex quo sequitur, quod licet in ordine intẽtionis sit substantialis actus per se primò a materia inf-

inspectus, tamen in exequutionis ordine, in quo est pręcontinentia, (vt ex se constat) semper est inspectus, non absolutè, sed media dispositione accidẽtali: vnde dispositiones antecedentes, & sigillatio derelicta ab illis in materia ad instans generationis, cum sint in ordine exequutionis, semper determinant materiam ad receptionem formæ substantialis, media propria dispositione: & similiter facit vt formam substantialẽ, media hac dispositione, præcõtineat.

78. His suppositis, ad argumẽtum respõdetur, distinguendo antecedens; prius continet materia hanc formam, quàm hanc quantitatem, in genere receptiuo, cõcedo antecedens: in dispositio, nego antecedens, & consequentiam. Ad primam & secundam probationẽ constat ex distinctione, & ex notabilibus. Ad tertiam, concedo materiam non respicere formam propter quantitatem, nec in intẽtionis, nec exequutionis ordine: attamen cum hoc cõpatitur, quod propter formã respiciat per se secundò quantitatem, tanquam aliquid prius, per modum dispositionis requisitum. Ad vltimam dico, quantitatẽ sub munere formæ secundæ, seu proprietatis, pracontineri media forma prima absque eo quod in munere dispositionis, media illa, contineatur: cum dispositio debeat, vt medium, & via, antecedere formam, per modum termini inspectam.

79. Secundum argumentum sic procedit: materia vel est primum indiuiduationis principium per præcontinentiam quantitatis habitæ, in primo instanti generationis; vel per præcontinentiam quãtitatis, in discursu temporis habitæ; sed neutrum potest dici: ni dicas, quod Paulus puer, & Paulus vir, non est vnum & idem indiuiduum: vtique quia v. puer connotat quantitatem cubitalem v. g. & vt vir, bicubitalem: ergo quantitas nunquam valet, ratione cõnotationis, vel præcontinentiæ, sufficienter sigillare materiam, ad indiuiduationem formæ, & compositi.

Respondetur, materiam non esse primum indiuiduationis principium, per connotationem, seu præcontinentiam quantitatis cubitalis, vel bicubitalis; sed per ordinem ad maiorem quantitatem, petitam à tali forma, ex circunstãtijs, & dispositionibus antecedẽtibus: hoc est, per ordinem ad maximum quod sic huius formæ seu compositi, inuariabiliter respiciẽtis hoc maximum.

80. Dices: D. Tho. opusc. 70. q. 4. a. 2. asserit, materiam fieri hanc positiuè, & simul indiuiduare formam, & compositum, & primum principium, per quantitatem interminatam: ergo per quãtitatem abstrahentem à cubitali, & bicubitali; & etiam à maximo vt sic: aliàs terminata, seu determinata esset, & non interminata, vt primus & maximus docet Theologus.

81. Vt

81. Vt respondeas, nota, quantitatem indeterminatā non coincidere cum indifferenti, nec cum infinita: nec terminatam, cum determinata: nam interminata dicitur, non quia non sit determinata, sed quia pro illo priori, in quo antecedit formam, in genere materiali dispositiuo, non intelligitur vt formata, & terminata à forma substantiali, à qua formatur & terminatur in priori sequenti. Constat hoc ex D. Tho. in 4. dist. 11. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 4. vbi sic ait, *terminatio enim dimensionis est per formam.* Et explicatur à Thomistis in contritione, quæ licet vt posterior gratia, sit formata, & terminata per gratiam: tamen vt prior illa, non concipitur vt formata, nec vt terminata, etiam si semper intelligatur vt forma determinata.

Per quod liquet ad obiectionē; nam licet verum sit, quod quantitas vt indeterminata, hoc est, vt prior forma, in genere dispositiuo, & non vt determinata, hoc est, vt posterior ipsa, in genere receptiuo, sit primus indiuiduationis fōs: tamen ex hoc non sequitur, quod semper non sit eadē, hoc est, quod nō sit determinatè vna, iuxta maximum quod sic ipsius, vt sit primum indiuiduationis principium.

82. Replicabis: quantitas interminata, non est à terminata distincta; sed terminata supponit formam: ergo & interminata. Respondetur concedendo maiorem, & minorem; & negando consequentiam: nam (vt constat ex dictis in libris de generatione) quātitas, in diuerso genere causæ, valet antecedere & subsequi ad formam; & esse terminata, & interminata.

83. Tertium sic se habet: in materia non datur, antecedenter ad formam substantialem, aliquid, per quod magis hanc, quam illam præcontineat quantitatem: cum ex se sit indifferens ad omnes formas, & ad omnes quantitates: ergo ab hac præcontinentia non est positiuè indiuidua, vt sit indiuiduationis compositi prima radix: ergo in aliud debet reduci primū compositi indiuiduationis principium.

Respondetur negando antecedens: nam antecedenter ad formā, dantur in materia dispositiones antecedentes, quæ illam ad instās generationis relinquant sigillatā, ad receptionem formæ, media hac quantitate; & ideo absque superadditione alicuius entitatis in recto, & solum per sigillationem indistinctam, dimanantem (tāquam ab aliquo) ab his dispositionibus, præcontinet magis hanc, quam illam quantitatem, vt sit huius, & non illius compositi primum indiuiduationis principium. Valet optimè explicari hoc in relatione Paternitatis, quæ connotat secūdum filium, absque superadditione alicuius entitatis realiter distinctæ; per hoc quod à Patre exeat noua actio generatiua Paternitatem determinans ad nouum

exercitium eiusdem relationis.

84. Dices: Materia, ratione dispositionum, magis hanc, quam illam præcontinet quantitatem: ergo indiuiduatio debet in dispositiones, & non in materiam pręcõtinentem resolui, tanquam in radicale principium.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: nam licet dispositiones sint requisitæ, vt magis cõtineat hãc, quam illam quantitatem, tamen indiuiduatio non debet resolui in dispositiones tanquam in rationẽ formalem, & causam propriam; sed, ad sumum, in illas tanquam in obliquum, seu conditionem requisitam ad sigillationem, seu cõtinentiam proximam. Non aliter, ac licet Paternitas non sit ratio referendi Patrem ad secundum filium, nisi dependenter ab actione, qua secundus generatur filius; tamen actio generandi non est ratio formalis, qua refertur ad filium; sed ad sumum ratio fundandi, seu conditio requisita, vt Paternitas actu Patrem referat ad secundum filium.

85. Ex quo sequitur primo; quod sicut Paternitas in se habet, ex parte recti, absque superadditione alicuius entitatis quidquid requiritur, vt actu & formaliter Patrem referat: Sic materia in se habet, ex parte recti, (absque superadditione alicui⁹ entitatis realiter supperadditæ) quidquid requiritur, vt actu præcõtineat, magis hãc, quam illam quantitatem.

86. Sequitur secundo: quod sicut Paternitas non exercet in se hanc rationem referendi in recto, nisi dependenter ab actione generatiua, tanquã à connotato, seu à ratione fundandi; sic materia non exercet in re rectum pręcontinendi, nisi dependenter à dispositionibus remotis, tanquam à connotato, seu conditione requisita.

§. XV.

Aliqua illata.

87. Ex his colligo primo; quã absque fundamento aliqui scotistæ asserunt, primum indiuiduationis principium compositi materialis, esse collectionẽ omnium accidentium: Absque fundamento inquam, primo, quia alia accidentia ex se non sunt indiuidua: ergo collectio omnium non est substantiæ materialis primum indiuiduationis principium. ¶ Secundo, quia indiuiduatio substantialis non valet resolui in aliquod sit extra substantiæ prædicamentum, tanquam in primum principium; præcipue cum primum principium intret ad constitutionem totius compositi: ergo à collectione omnium accidentium non indiuiduantur composita, tanquam à prima radice.

88. Nec contra hoc stat diffinitio Porphirij, asserentis, *Indiuiduum esse, cuius collectionem proprietatum alteri conuenire non posse.* Non (inquam) nam Porphirius non reduxit

duxit indiuiduationem in collectionem proprietatum, tanquam in causam indiuiduationis; sed tãquam insignum indiuiduationis, (vt optime defendit Ioannes Gõzalez de Albelda) & sic, hæc definitio non est essentialis, sed descriptiua, significans signa, manuducentia intellectum, ad cognitionem vnius indiuidui.

Nec contra hoc denique stat; differentiam indiuidualem esse extra conceptum essentiæ; & sic esse accipiendam ab accidentibus essentiæ, & non à partibus essentialibus, essentiam constituentibus. ¶ Non (inquam) stat; nam partes essentiales non solum constituunt speciem, sed indiuiduum, & sic indiuiduatio, quæ metaphysice est speciei accidens, accipitur tanquã à primo principio à materia, non secundum se accepta, vel vt constituit speciem; sed ab ipsa, vt positiue *hæc*, vel vt præcontinens hanc quantitatem; in qua acceptione indiuiduum, & non speciem constituit.

89 Colliges secundo: nec existentiam, neque subsistentiam, esse substantiæ materialis primum indiuiduationis principium. Tum quia subsistentia, & existentia, ex se non sunt indiuiduæ; & sic in illas non valet resolui indiuiduatio, tanquam in primum principium. Tum quia primum principium indiuiduationis constituit essentialiter hoc compositum; sed nec existentia, nec subsistentia constituũt essentialiter hanc humanitatem: ergo primum principium indiuiduationis non est existentia, nec subsistentia.

90. Dices. Indiuiduatio in linea metaphysica est vltimus actus; sed vltimus actus, in lynea metaphysica debet accipi, tanquam à primo principio, ab vltimo actu in lynea metaphysica: ergo ab existentia, (quæ est in hac lynea vltimus actus rei.)

Respondetur concedendo maiorem; & distinguendo minorem: vltimus actus metaphysicus debet accipi ab vltimo Physico, ab vltimo in ratione indiuisibilitatis, & incommunicabilitatis, concedo minorem; ab vltimo, in ratione perfectionis, nego minorem & consequentiam: nam indiuiduũ, (vt cõstat in hac humanitate) valet persici, & non dibidi, nec alteri cõmunicari; & ideo indiuiduatio ipsius, non ab existentia, sed à quantitate in materia præcontenta, (à qua omnis indiuisibilitas, & incommunicabilitas dimanat) debet accipi.

§. XVI.

Corollarium appendix.

91. IN huius quęstionis corollario se offert indiuiduatio accidentium, *non metaphysica*, (à nobis formalis, seu proxima nominata) quia hæc tam in accidentibus, quam in substantijs est physicè à proprijs indistincta entitatibus; sed *radicalis*, ab ipsis formis acci-

accidentalibus realiter distincta; vel (vt formalius loquar) se offert prima indiuiduationis accidẽtium radix.

92. In hac re tenendum (cum Doctore Angelico) primum indiuiduationis accidentium materialium principium, *vt quod*, esse subiectum ipsorum formaliter sũptum; & primum indiuiduationis principium, *vt quo*, esse materiam signaram quantitate. Sic Diuus Thomas ex Arist. 5. metaph. tex. 15. & 1. part. q. 39. ar. 3. & quæst. 29. ar. 1. his verbis: *Accidentia indiuiduantur per subiectũ dicitur enim hæc albedo, in quantum esse in hoc subiecto.*

93. Sed vt ratione probetur nostra conclusio, nota: accidentium subiecta posse dupliciter accipi: primò *materialiter*: secundo *formaliter*: materialiter solum explicat entitatem realem subiecti, absque ordine ad aliquod extrinsecum; & in hac acceptione, saltim successiuè, certum est, quod in illo possũt recipi quam plurima eiusdem speciei accidentia; hoc est accidentia solo numero distincta. Formaliter secundo, vt dicunt cõnotationem ad hoc tempus magis, quam ad illud: & in hac acceptione solum valent vnum respicere accidens.

94 Hoc supposito, constat conclusio, primò ex forma substantiali, quæ ex eo indiuiduatur à materia signata quantitate, quia materia signata quantitate reddit formam alteri incommunicabilẽ; sed subiecta accidentium, (vt stant sub diuersa temporis circunstantia) reddunt ipsa alteri incommunicabilia: ergo à proprijs subiectis formaliter acceptis, tanquam à primo indiuiduationis fonte.

Confirmatur & expenditur hęc ratio: duo sunt de ratione primi indiuiduationis principij; primum quod tale principium non sit in alio; secundum, quod tale principium sit ita peculiare, vt alteri cõuenire non valeat; sed subiecta accidentium, ex se *vt quod* sunt alteri incommunicabilia: etiam si *vt quo* forma subiecti accidentium sit materiæ communicabilis; & aliàs vt afficiuntur hanc temporis circunstantia, sunt ita propria huius accidentis, vt non sint alterius: ergo accidentium indiuiduatio debet resolui, tanquam in primã radicem *vt quod*, in subiectum proprium & immediatum: licet tanquam in primam radicem *vt quo* debeat in materiam primam, seu in subiectum resolui mediatum.

95. Secundo probatur, conclusio: ex eo quantitas ẽst inadæquatè ex se indiuidua, quia inadæquate est ex se incommunicabilis; sed accidentia materialia ex se sunt subiecto communicabilia, & ratione illius alteri incommunicabilia: ergo in subiectum, & non in illa debet reduci illorum indiuiduatio, tanquam in primum principium.

96. Dices: substantia completa, quæ est accidẽtium subiectum, nõ secundum se, sed vt indiuidua, est

radix

radix accidentium indiuiduationis; sed hæc non ex se, sed à materia signata quantitate, est indiuidua: ergo accidentium indiuiduatio non debet resolui in substantiam completam, tanquam in primum principium, sed in materiam signatam quantitate: vtique quia si inquiras, cur detur hoc accidẽs, recte respondebis, quia datur hoc compositum. Et si iterum inquiras, cur datur hoc compositum? Respondebis, (& bene) quia datur hæc materia signata quantitate: ergo in hanc debet reduci indiuiduatio accidentium, vt sic etiam verum teneat repetitum Philosophi proloquium; *Propter quod vnũquodque tale, & illud magis.*

Ex conclusione respondetur, concedendo maiorem, & minorem; & distinguendo consequens: non debet resolui in substantiam completam, tanquam in primum principium *quo*, concedo consequentiam; tanquam in primum principium *quod*, nego consequentiam. Nam licet verum sit, (vt cõuincit obiectio, & docet conclusio) quod indiuiduatio accidentium resoluatur in materiam signatam quantitate, tanquam in principium primum *quo*; non tamẽ tanquam in primum principium *quod*; (de quo est in præsenti principale certamen.) Non aliter ac quando inquiritur, de principio actionum, præcipua controuersia non est de principio *quo*, in quod quid resoluitur, cum ratione illius agat; sed de principio *quod*; de quo locutus est Philosophus, dum dixit, *actiones esse suppositorum.*

97. Nec contra hanc solutionem stat D. Thomas opusculo vigesimo nono, his verbis. *Sed aduertendum est, quod accidentia non indiuiduantur per materiam primam; sed per subiectum proprium, quod est ens actu, indiuiduantur; sicut & formæ substantiales per materiam primam, quæ est earum subiectum.* Non (inquam stat) nam in his verbis non denegat materiæ primæ indiuiduationem accidentium, per modum principij *quo*, sed solum per modum principij *quod*; vt intuenti constabit; nam in hac acceptione est materia subiectum formarum substantialium.

§. XVII.

Argumenta quæ obstant, contra nostram doctrinam.

98. PRimum argumentum accipitur à Patre Suarez; ex eo quod indiuiduatio, vt indistincta ab accidenti, non valet accipi à subiecto, quod realiter entitatiuè est à forma distinctum accidentali.

Sed hoc argumentum manet sæpe sæpius in hac solutum quæstione. Nam in præsenti non loquimur de indiuiduatione metaphysica, seu proxima, (ab ipsa indistincta entitate) sed de primo, & radicali principio, quod tã in formis accidentalibus, quam in subsubstantialibus, est à proprijs distinctum entitatibus.

99. Se-

99. Secundum accipitur, ex eo quod, saltim successiuè, valēt quā plurima accidentia eiusdem speciei, vt duæ albedines, recipi in eodem numero subiecto; sed istæ albedines, absque controuersia, successiue in eodem numero receptæ subiecto, sunt numero distinctæ: ergo à subiecto non indiuiduantur. Tum quia, vbi est successiuè eadem ratio indiuiduationis, debet, (saltim successiuè) reperiri eadem indiuiduatio. Tum quia, quæ successiuè habent eandem formam substantialem, in specie, successiuè etiam habent eandem vnitatem specificam.

100. Respondetur, distinguendo maiorem: accidentia eiusdem speciei possunt recipi in eodē subiecto formaliter accepto, nego maiorem: materialiter accepto, concedo maiorem, & minorem, nego què consequentiam. Nam (vt cōstat ex notabili, post conclusionē apposito) indiuiduatio non accipitur à subiecto, secundum se, seu in esse rei accepto; sed ab illo formaliter accepto, vt subest huic circunstantię temporis: in qua acceptione, nō est idem formaliter. Per quod patet ad primam consequentiæ probationem. Ad secundam dico, formam substantialem ex se semper esse formaliter determinatam ad constitutionem speciei: at verò subiectum non est ex se ita determinatum ad constitutionem indiuidui, vt non indigeat aliqua determinatione ratione cuius formaliter sit diuersum.

QVÆSTIO. V.

Vtrum materia prima vltimò disponatur ad receptionem formæ substantialis per accidentia ab ipsa forma effectiuè causata?

§. I.

Lux tituli.

1. OMnes, vno ore supponūt, vltimam dispositionē formæ habere cum illa tam necessariam connexionem, vt sit in subiecto pro eodem instāti, in quo est in illo vltima dispositio. Nunc quod inquirimus est; an dispositio vltimò disponēs materiam ad receptionem formæ, sit *efficienter latè, seu per emanationem ab ipsa forma.*

Consulto dixi, *efficienter latè, seu per emanationem*: nam iuxta dicta à nobis in 2. Physicorum disp. 4. quæstiunc. vnica quæst. primæ, proprietates deseruientes ad munus vltimæ dispositionis (vt calor vt octo deseruit ad formam ignis) efficienter propriè sunt à generāte, & solum efficienter impropriè ab essentia, seu à forma genita. Inquirit ergo quæstio, an dispositiones vltimę valeāt esse accidentia, seu proprietates, quæ ex forma efficienter latè dimanant.

Neque ex hac suppositione manet difficultas decessa, (vt aliquisinistrè existimant) nā adhuc, hac suppositione facta, extant in

sua

sua vi vtriusque sententiæ fundamenta, vt constabit ex discursu quæstionis.

§. II.

Referuntur sententiæ.

2. IN hac celebri certamine, partem negatiuam tuentur omnes Doctores, qui dubio præcedenti affirmabant, non fieri, in corruptione substantiale, resolutionem vsque ad materiam primã. Sic omnes Societatis Patres, & ex Thomistis omnes, qui 1. 2. q. 13. art. 8. defendunt, vltimã dispositionem gratiæ non produci à gratia iustificante, sed ab auxilio supernaturali Dei.

3. Affirmatiuam verò docent plures, & grauissimi Thomistæ, qui 1. 2. loco supra citato docent, dispositionem gratiæ habitualis dimanare efficienter à gratia. Sic Caietanus, Medina, vterque Sotus, Aluarez, libro. 7. de auxilijs, Canus in relectione de pœnitentia, Magister noster illustr. D. D. Fr. Iosephus de la Cerda, in manuscriptis.

§. III.

Primus modus defendendi affirmatiuam partem ex Cayetano, proponitur, & impugnatur.

4. SEd antequam accedas ad veram huius resolutionem, opportet vt videas diuersitatem, qua Doctores hanc mutuam adstruunt causalitatem: nam Caietanus 1. 2. loco supra citato asserit, formam substantialem, sumptam secundum gradum primum, & superiorem, (videlicet secũdum gradum substantiæ) causare accidentia, quæ disponunt ad receptionem ipsius formæ, secundum gradum magis particularem, & inferiorem, videlicet, secundum gradum corporis. Hunc modum oppinandi sumpsit Cardinalis ex Angelico Magistro, 1. p. q. 76. ar. 6. ad 1. vbi hæc profert verba. *Manifestum est autem, quod vnum quodque genus consequuntur propria accidentia; sicut ergo materia præintelligitur perfecta, secundum esse, ante intellectum corporeitatis, & sic de alijs, ita præintelliguntur prædicta accidentia, quæ sunt propria entia, ante corporeitatem; & sic præintelliguntur, dispositiones in materia, ante formam; non quantum ad omnem eius effectum, sed quantum ad postertorem.*

5. Non placet Doctoribus nostræ conclusionis: primo, quia inter gradus, ipse Caietanus, (cum veriori oppinione) non admittit realem distinctionem: ergo eo ipso, quod forma, substantialis sit recepta, secundum gradum substantiæ, est realiter recepta secundum gradum corporis: ergo implicatorium est, quod realiter, secundum gradum substantiæ, producat accidentia, seu proprietates, quæ disponant ad receptionem realem ipsius formæ, secundum gradum corporis: cum secundum

dum omnes gradus supponatur realiter recepta.

6. Secundò, receptio formę, secundum gradum substantiæ, non est realiter prior receptione ipsius, secundum gradum corporis, nisi ad summum prioritate *à quo* rationis: ergo accidentia, quæ dimanant à gradu substantiæ non possunt realiter deseruire ad receptionem formæ, secundum gradum corporis.

Calor, qui est vltima dispositio ad formam ignis nequit dimanare à forma ignis, secundum gradus superiores substantiæ, vel corporis, cum solum sit proprietas ignis, secũdum gradum peculiarem formæ ignis: ergo dispositio ad vltimum, seu specificum gradum formæ non valet dimanare à superiori, seu generico; ni dicas, accidens proprium dimanare à gradu, qui respectu illius non habet rationem essentiæ.

Simili impugnatione reijcitur à Theologis talis modus dicendi: nam actus pœnitentiæ, qui est vltima dispositio ad gratiã iustificantem, non valet dimanare à gratia iustificante secundum gradum communem qualitatis; vel habitus.

7. Displicent impugnationes, quæ aliquando placuerunt; quia nec mentem, nec Caietani impugnant doctrinam. Audias obsecro Cardinalem 1.p.q.76.ar.6. vbi sic fatur. *Adverte* (inquam) *quod formã vniri materiæ disposita potest quadrupliciter intelligi. Primò, dispositionibus præcedentibus, ordine durationis; & sic verificatur, quia immediate ante instans generationis materia erat summe disposita, pro forma introducta. Secundo, dispositionibus simultaneis; & hoc modo etiam est verum, quia in instanti introductionis formæ substantialis adsunt etiam omnes dispositiones requisitæ ad ipsa materia. Tertio, dispositionibus simultaneis, præsuppositis tamen reali ordine naturæ; & sic est falsum, formam vniri materiæ dispositæ; quoniam ipsa forma precedit, reali natura ordine, omnia accidentia, vt in corpore articuli probatum est. Quarto, dispositionibus simultaneis, & præsuppositis ordine naturæ, secundum intellectum; & hoc modo est verum, non de ipsa forma substantiali absoluè, sed de ipsa secundum postertorem eius gradum, & effectum.*

8. Ex his verbis constat, duas primas impugnationes non esse contra mentem Caietani; nam ipse expresse docet formam substãtialem, secundum gradum genericum, seu superiorem, disponere ad specificum, seu inferiorem per rationem, non vero realiter, vt impugnationes supponunt.

9. Nec tertia impugnatio est contra huius Doctoris doctrinã; nam licet verum sit, quod, in nostra opinione, calor vt octo sit vltima dispositio ad formam ignis, tamen in illius oppinione calor vt octo non est dispositio vltima antecedens, pro aliquo priori, ad receptionem formę ignis, sed solum dispositio comitans formam, vt con-

connaturali modo, vel, vt cũ perfectione requisita sit in subiecto. Vnde in Caietani oppinione, calor vt octo dimanans ab igne, vt tali, vel a gradu vltimo, & specifico formæ ignis, non est dispositio vltima antecedens, sed aliud accidens dimanans à gradu generico ipsius formæ. Et quod hæc sit Cardinalis mens, constat ex verbis supra citatis. Et ex alijs quæ sequuntur; *quia vt in littera dicitur, formam substantialem, vt sic, intelligitur cõmitari proprietates entis substantiæ; ac per hoc capacem esse corporeitatis, quam commitantur dimensiones; & sic intelligitur capax mixtionis, quã sua accidentia, commitantur; & sic semper forma secundum vlteriorem gradum, & effectum formalem, & accidentia propria perfecta intelligitur aduenire materiæ disposita.*

10. Ex quibus verbis apertè constat, hunc Doctorem sensisse, accidentia gradus superioris disponere vltimò materiam ad receptionem gradus inferioris eiusdem formæ: & consequenter, calorem vt octo dimanantem à gradu vltimo, & specifico formæ ignis, non esse vltimã dispositionem preuiã gradus vltimi, & specifici.

Nec exemplum Theologicum vim habet; nam ipse Caietanus consequenter ad dicta ait 1. 2. loco supra citato, actum pœnitentiæ dimanare à gradu generico gratiæ habitualis, seu (vt verbis Caietani loquar) à grãtia, quæ gratũ facit; non vero à gradu specifico gratiæ, seu (vt ipse ait) à gratia per modum naturæ considerata.

Quare, his relictis impugnationibus, sic mentem Caietani impugno. Primò, quia talis doctrina non respondet quæstioni, quæ inter formam, & dispositionem inuenire desiderat mutuam causalitatem veram, & realem, & non per rationem, vt in præsenti concedit ab isto Doctore.

11. Secundò, & efficatius, quia accidentia, quæ dimanant à gradu corporis (exempli causa) non valent vltimò disponere ad gradum vitæ: ergo accidẽtia, quæ dimanãt à gradu generico formæ nõ valẽt vltimò disponere ad specificum ipsius formæ: consequẽtia est certa: antecedens probatur: accidẽtia, quę dimanãt à gradu corporis, ex se non exigunt gradũ vitæ: vt constat in forma, coalescẽte ex gradu corporis, pro gradu vltimò, & specifico, quæ naturaliter, & sine violẽtia est in materia, absq; gradu vitæ: ergo accidẽtia, quę dimanãt à gradu corporis, nõ valẽt vltimo disponere ad gradũ vitæ: ni dicas: vltimam dispositionẽ posse esse, ex natura rei, in aliquo subiecto sine forma ad quã disponit.

§. IV.

Secundus modus tuendi partem asserentem, ex Soto, & Ferrariensi profertur, & refellitur.

12. MAgister Sotus in 4. dist. 14. Ferrara, & alij, asserunt formam substantialem posse bifa-

bifariè considerari. Primo in fieri; in quo sensu docet, formam intelligi vt terminum suę causæ efficiētis, & sic esse principium effectiuū suæ vltimæ dispositionis. Secundò in facto esse, in quo sensu affirmāt, formam intelligi vt receptā in subiecto, media dispositione vltima, à qua causatur, seu recipitur.

Iste modus nūquam placuit, nā forma substantialis, vt terminus agētis, seu in fieri, explicat de formali munus effectus: ergo vt sic præscindit à munere causæ efficiētis, cum in eodē priori natura nō valeat exercere munera effectus, & causæ.

Rursus, forma substantialis non operatur in abstracto, sed in cōcreto, seu in supposito: ergo vt recepta: quia receptio necessaria supponitur ad aduersarijs, ad constitutionem suppositi operantis; vel, si non est necessaria, assigna eis absque receptione suppositū operās.

§. V.

Tertius modus adstruendi partem asserentem, ex Patribus Carmelitanis, proponitur & refutatur.

13. PAtres Carmelitæ in pręsenti, dispu. 2. q. 8. defendunt, proprietates à forma effectiuè dimanātes disponere materiā; nō ad receptionē quidditatiuā, & essētialē ipsius formæ, sed solum ad cōnaturalitatē receptionis; hoc est, nō disponere materiā, vt recipiat formam, secundum suam quidditatem, sed vt illam secundum modum connaturalem recipiat.

Quod verò sic contingat, & similiter quod dispositiones nō sint indispēsabiliter & essentialiter requisitæ, ad receptionem quidditatiuā formæ, probant ex eo, quod diuinitus valet recipi forma in materia non disposita.

14. Facilis via, facilique negotio, rē explicās difficultatibus parat medelam; sed quia nō satis explicat ordinē agentis, & passi, à D. Th. inuentum, non mihi vndequaq; arridet, & contra eum sic insurgo. Nam si in illo priori, antecedēter ad efficiētiā dispositionum, intelligitur forma essentialiter recepta: ergo cōnaturaliter recepta. Probo cōsequentiā; intelligitur, pro illo priori, vt cōnaturaliter agens; sed cōnaturaliter agere supponit connaturaliter recipi, si receptio (vt admittunt Carmelitę) est necessaria ad causalitatē effectiuā formę: ergo accidētia, quę à forma dimanant, nequeunt deseruire ad connaturalē illius receptionē.

15. Etsi cum Complutēsibus dicas, formam quidditatiuè receptā intelligi, pro illo priori, absq; dispositionibus præcisiuè, cum connaturalitate debita ad efficiendū; non vero cum cōnaturalitate simpliciter dicta, quæ in toto instanti debetur formæ, ad connaturalem receptionem.

16. Contra est; nam operari formæ sequitur ad esse formæ: ergo cōnaturaliter operari sequitur ad esse formæ connaturaliter receptam;

tum; sed in opinione Complutensium forma, pro illo priori naturę, connaturaliter, vel, cum omni cõnaturalitate operatur: ergo connaturaliter, vel cum omni connaturalitate supponitur recepta.

Rursus, in forma substantiali non datur duplex informatio, vna quoad quidditatem, & alia quoad modum connaturalitatis: ergo nec duplex receptio, vna quoad quidditatẽ, & alia quoad modum connaturalitatis; cum hæc supponat, vel inferat illam.

Deinde omnis materiæ receptio est absque miraculo, naturalis; sed pro illo priori causæ efficiuæ, in quo (in opinione horum Doctorum) recipitur essentialiter, intelligitur forma absque miraculo recepta: ergo connaturaliter recepta.

Denique: nam dispositio requiritur, vt connaturaliter recipiatur forma: ergo, nisi concipias miraculum, debes, in omni priori, quo intelligis receptam formam, non intelligere receptam absque dispositione, sed vel concipere dispositionem, vel præscindere ab illa; atquè quantumuis asseras, pro illo priori, esse cognitionem præcisiuã dispositionum, non vero negatiuam, tamen re ipsa fateris esse negatiuam: ergo. Probo minorem; cognitio præcisiua dispositionum esset si conciperetur ipsa forma, non concepta dispositione, nec ordine ad illã causandam; sed in hoc modo dicendi concipitur forma, in illo priori, prout principium illius dispositionis, eo fine vt connaturaliter recipiatur ipsa: ergo concipitur forma recepta, nõ connaturaliter pro illo priori, scilicet absque dispositione, & cum miraculo; & consequenter intelligitur recepta, absque dispositione negatiuè.

§. VI.

Quartus modus stabiliendi partem concedentem, ex Gabriele Vazquez exhibetur & abiegatur.

17. PAter Vazquez alia via incedit, affirmauit enim, formam substantialem posse dupliciter accipi. Primò, in ordine agentis, seu causæ efficientis: in quo asserit, formam substantialem esse priorem dispositionibus, & simul illarum causam efficientem. Secundò, in ordine passi, seu causæ materialis; in quo (ait) formã substantialem esse posteriorem dispositionibus, & simul illarum effectum; nam in hoc ordine causatur a dispositionibus, vt recipiatur in materia vltimò disposita.

18. Iste modus dicendi viã veritatis inuenit, sed in medio itinere defecit; nam nõ explicat modum, quo forma substantialis causat in concreto dispositiones, vltimò materiam disponentes; cum enim suppositum sit principium *quod* illarum, ratione formæ, restat examinandum, quomodo intrinsecè vniatur forma supposito,

vt sit, in genere effectiuo, dispositionum causa.

Denique; nam Gabriel Vazquez supponit totum quæstionis litigium, videlicet, quod forma substantialis irrecepta valeat exercere munus causæ efficientis, quod ab aduersarijs non valet intelligi.

§. VII.

Notabilia, pro veriori sententia affirmante, præmittuntur.

19. VT ergo veritatis semitã aperiamus, nota primo, quod duplex est genus dispositionum: alię enim sunt remotę, idest, antecedentes ad instans generationis; & de his nulla est quæstio, cum in cõfesso sit apud omnes, nõ posse procedere à forma genita, quæ, vsque ad instans generationis, non est. Aliæ sunt proximæ, idest cõcomitantes ipsum instans generationis; vt calor vt octo cõcomitat formam ignis. De his ergo procedit quæstio, & inquirit; an inter has dispositiones, & formam substantialem valeat reperiri hæc mutua causalitas.

20. Secũdò nota; formã substãtialem posse bifarie accipi; primò in ordine ad subiectum, quod informat; in qua acceptione exercet munus causæ formalis, respicientis constitutionem compositi: secundo, in ordine ad proprietates, quas causat; in qua acceptione exercet munus causæ efficientis. Et licet verum sit, quod, in hac secunda acceptione, non exprimat ordinem ad subiectum, quia in signo causæ efficientis non debet exprimi id, quod est proprium causæ formalis, tamen (vt constabit ex fundamentis nostræ resolutionis) in tali secunda acceptione debet forma essentialiter supponere ordinem ad subiectum, quod informat, vt ratione illius exprimatur suppositum, vt principium *quod* proprietatum, disponentium ad receptionem formę.

21. Tertio nota: maximè semper attendendum ad separandã prioritatẽ *à quo*, à prioritate *in quo*. Nã aduersarij licet non mente, tamen verbis has cõmiscent proprietates. Prioritas ergo *in quo*, quę denotat vnum existens esse sine alio, pro aliquo saltim instãti reali, omninò à nobis, (quoad hoc generationis instans) est relegenda; & assumenda prioritas *à quo*, quæ consistat in dependentia reali, & vera, vnius rei ab alia.

22. Quarto nota: quod non solum inter causam, & effectum, sed etiam inter quatuor causas, (non quatenus causæ sunt reduplicatiuè, sed quatenus se habent ad inuicem, vt causæ, & effectus) dantur rationes priores, & posteriores. Nam finis est omnibus causis, in intentione prior, cum omnibus proprias tribuat causalitates, etiam si in exequutione, (vt effectus earum) ab omnibus dependeat. Deinde est efficiẽs, quod introducit formam in materia *ex quo*: media informatione non verò ex

ex materia *in quo*, media receptione. Posteà in alio posteriori, forma causat effectiuè latè dispositiones, quæ vltimò determinant materiam, ad receptionem formę.

Consultò dixi, *non quatenus causæ sunt, sed quatenus se habent ad inuicem vt causæ & effectus*; quia licet verum sit, quod causæ se mutuò adiuuent, in ordine ad effectum adæquatum, ita vt vna non valeat sine alia suam exercere causalitatem; tamen ista connexio non infert mutuam dependentiam inter causas, quatenus causæ sunt: quia causa, vt causa, non causatur, sed causat. Vnde quando communiter dicitur, *quod vna causa causat aliam*, debet intelligi specificatiuè, sub expressione effectus, & nō reduplicatiuè, sub expressione causæ.

23. Quintò nota: *informationem* esse à *receptione* distinctam; nam informatio valet absque receptione intelligi, etiam si realiter absque illa non sit. Vnde materia dupliciter potest se habere, respectu formæ informantis: Primò in *obliquo*, vt effectus, seu vt terminus intrinsecus informationis. Secundò *in recto*, & vt subiectum recipiens informationem formæ, in obliquo importatæ.

Vnde forma educta ex potentia materię, his duobus modis potest ad causam effectiuam comparari. Primò, vt vnita materiæ *ex quo*, media informatione. Secundò, vt vnita materiæ *in quo*, media receptione. Nam licet verum sit, quod receptio & informatio sint simul, in eodem instanti reali, generationis; tamen præcisiuè loquendo, pro signo causæ materialis, non debet intelligi materia vt informans, sed vt recipiens; quia receptio, & non informatio, spectat de formali ad genus causæ materialis; & similiter in signo formæ, solum debet intelligi id, quod essentialiter requiritur ad informationem, licet pro illo priori receptionem non negemus.

24. His prælibatis, sic res est statuenda. Si instans generationis, seu prioritatem *in quo* consulimus, omnia sunt simul; scilicet, causa efficiens formæ, forma, subiectum *ex quo*, & *in quo*, seu *de quo*, compositum, dispositiones vtimò disponentes, principium effectiuum illarum, informatio formę, & receptio materiæ: si vero prioritatem *à quo*, sic iuditium debet formari; *in primo* signo intelligitur forma ignis, v.g. vt producta, vel, vt effectus suæ causæ efficientis: *in secundo* signo intelligitur forma ignis, vt informans materiam: *in tertio* signo intelligitur vt principium effectiuum caloris vt octo: *in quarto*, calor vt octo determinat seu vltimò disponit materiam ad formæ ignis receptionem: *in quinto*, intelligitur materia vt recipiens, *per se primò*, formam ignis; & *per se secundo* (media compositi constitutione) calorem vt octo: quo finito totus generationis motus consummatur.

§. VIII.

Resolutio affirmatiua quæstionis.

25. DEfacto datur mutua causalitas, inter formam substantialem, & vltimam dispositionem. Sic D. Tho. 3. p. q. 7. a. 13. ad 2. vbi sic satur. *Ad secundum dicendum, quod sicut dispositio, in via generationis præcedit perfectionem, ad quam disponit, in his, quæ successiuè perficiuntur; ita naturaliter perfectionem sequitur, quam aliquis iam consequutus est: sicut calor, qui fuit dispositio ad formam ignis, est effectus profluens à forma ignis, iâ præexistentis.* Quid expressius pro nostra assertione? Et quod loquatur Doctor Sanctus de eodem numero calore, qui est proprietas formæ genitæ, constat ex eo quod ait, *dimanare à forma præexistente*; & ex eo, quod ait, esse eum, qui est in via generationis.

26. Audi secundò Doctorem Sanctum, q. 9. art. 3. ad 2. *Ad secundum dicendum, quod dispositio se habet ad perfectionem dupliciter. Vno modo, sicut via ducens ad perfectionem: alio modo, sicut effectus à perfectione procedēs: per calorem enim disponitur materia ad suscipiendam formam ignis; qua tamen aduenienre, calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus talis formæ.* Tunc sic: calor, qui remanet, vt effectus formæ ignis geniti disponit ad sui receptionem; sed calor, qui remanet vt effectus formæ ignis geniti, nō fuit in corrupto: (vtique quia in opinione Doctoris Sancti, accidentia corrupti non transeunt ad genitum) ergo iuxta mentē Doctoris Sancti idem numero calor, qui instanti generationis dimanauit à forma ignis, disposuit ad illius receptionem.

27. Constat tertio, ex vltimo argumento quæstionis quartæ. Quartò constat ex eo, quod ex natura rei non sunt multiplicanda principia, seu causæ effectiuę vnius effectus, quando vna sufficit, si aliqua non ad sunt inconuenientia; sed nullum datur inconueniens in hoc, quod detur mutua causalitas inter causam efficientem, & vltimam dispositionem, ab illa dimanantem: ergo forma substantialis de facto est causa efficiens vltimæ dispositionis. Probo minorem: tum quia si aliquod esset incōueniens, recte eneruabitur in solutione argumentorum. Tum quia non datur inconueniens in hoc, quod detur mutua causalitas inter alias causas; videlicet inter efficientem, & finalem; & inter materialem, & formalem. Tum quia non datur inconueniens in hoc, quod detur mutua causalitas inter efficientem, & formalem, vt videre est in existentia effectiuè causata ab essentia, quæ formaliter, vel in genere causæ formalis causat essentiam. Tum denique quia, in opinione valde probabili, non datur inconueniens in hoc, quod detur mutua causalitas inter causam efficientem, & materialem;

rialem; nam in opinione asserēte, actionem subiectari in termino, actio causat effectiuè terminum, à quo causatur actio in genere causæ materialis: ergo mutua causalitas inter efficiens, & recipiens, non repugnat.

28. Constat denique: nam forma habet ex natura rei tā immediatam, & necessariam connexionem cum vltima dispositione, vt debeat esse indispensabiliter, ex natura rei, pro eodem instanti in subiecto, in quo est vltima dispositio: atque talis vltima dispositio non valet produci, pro instāti generationis, ab agente, seu à causa effectiua rigorosa, quin simul producatur latè, & per dimanationē, ab essentia, seu forma genita: ergo dispositio vltima formæ de facto ab ipsa dimanat forma. Consequentia est benè illata: Maior ab omnibus debet admitti: nam sola accidentia, quæ sunt in instāti generationis cum forma substātiali, habent immediatam cōnexionem cum illa, & vltimo disponunt ad illam: vt videre est in cōtritione respectu gratiæ: ergo accidentia: quæ fuerunt in corrupto, antecedenter ad instans generationis, nec vltimò disponūt materiam; nec cum forma immediatam, sed solum mediatam habent connexionem. Minor, (in qua est difficultas) probatur: accidens, quod à generante fit rigorosè in instanti generationis, vt vltima dispositio formæ, non fit ab ipso prius, quàm forma: tum quia (vt dixi in quæstione 3. huius disputationis) forma substātialis, nedum in intentione, sed in exequutione est terminus primarius agentis: tum quia prius debet produci id, quod dat esse simpliciter, quam id, quod dat esse secundum quid: tum quia sicut operari sequitur ad esse, sic esse secūdum quid (seu accidentale) sequitur ad esse simpliciter: (seu substantiale) tum denique quia calor vt octo, v. g. qui (in opinione ferè omnium) est vltima dispositio ad formam ignis, est proprietas dimanans à forma ignis, sed id, quod à generante fit, in instanti generationis, posterius forma substantiali, non potest nō fieri latè, & dimanatiuè à forma substantiali: tum quia habet connexionē cum illa: tum quia actio agentis appropriatur formæ substantiali, vt tendat ad proprietatum productionem: ergo vltima dispositio non valet produci, in instanti generationis, à generante, propria, & rigorosa actione, quin simul latè & per dimanationem producatur à forma genita.

29. Si dicas: materiam vltimò dispositam, non dicere, in instanti generationis, aliquod accidens in recto, sed solum sigillationem, seu connotationem ad accidētia, quę fuerunt in corrupto. Contra est; tum quia expressè opponitur hæc solutio Doctori Sancto, in 4. dist. 49. q. 2. a. 6. Vbi docet, corpus, seu materiam, non vniri animæ, quia habuit, sed quia habet de facto, dispositiones. Audi Magistrum.

Corpus non vnitur animæ, nisi quando in corpore sunt dispositiones convenientes ad animam suscipiendam. Tum quia in rebus supernaturalib⁹ subiectum vltimo dispositum ad gratiam, nõ habuit, sed habet, in instanti regenerationis (seu in instãti, in quo habet gratiam regenerantem) actus penitentiæ, & caritatis, quæ ad gratiam vltimo disponunt: ergo si in re generatione supernaturali non datur sigillatio pro vltima dispositione ad gratiã, sine fundamẽto assignatur ab his Doctoribus, in generatione naturali, pro dispositione requisita ad formæ naturalis receptionem.

§. IX.

Mens propria Authoris exhibetur, & enucleatur.

30. VT ergo detur mutua causalitas, inter formam substantialem, & dispositionem, vel, vt forma substantialis intelligatur vt causa efficiens suæ vltimæ dispositionis, non est opus, quod forma intelligatur formaliter vt recepta; nec quod præsupponatur recepta, pro priori antecedẽti; benè tamẽ, quod pro priori præsupponatur informans, vt in sequenti sit principium effectiuum dispositionis disponentis, & præparantis vltimo materiam, ad formæ receptionem. Neminem vidi pro isto modo dicendi; sed ferè his terminis defenditur à Magistro nostro Illus. ac sapientissimo D. D. Fratre Iosepho de la Cerda, Pacensi Episcopo.

31. Constat iste modus dicendi ex D. Th. 2. 2. q. 113. a. 8. ad 2: vbi sic fatur. *Dispositio subiecti præcedit susceptionem formæ, ordine naturæ; & ideo motus liberi aduitrij naturæ ordine præcedit consequutionem gratiæ, sequitur tamen gratiæ infusionem.* Vbi expresse docet, dispositionem gratiæ iustificantis antecedere gratiæ consequutionem; idest, antecedere gratiam, vt receptam; & subsequi ad ipsam, vt infusam; idest, subsequi ad illam vt informantem. Nihil clarius pro nostra resolutione.

32. Quod vero non debeat intelligi receptio in signo causæ effectiuæ, nec præsupponi ad illud, probatur: nam in signo causæ effectiuæ solũ debet intelligi id, quod est de conceptu essentiali causæ effectiuę; sed receptio non est de cõceptu essentiali effectiuæ causæ, nec essẽtialiter præ requisita: cum solum sit de conceptu causę materialis, non intrantis, nec formaliter, nec præsuppositiue, ad cõceptum causæ effectiuæ; cum sola forma sit principium operandi: ergo ad rationem virtutis effectiuę, per accidens se habet receptio, in eodem instanti exercita.

Quod vero informatio, vt præsupposita, sit necessaria ad signum causæ effectiuæ, constat ex notabilibus; & amplius ex eo, quod omnis forma substantialis, præcipue materialis, non causat extra materiam, & quasi in aere, has pro-

proprietates dispositiuas: tũ quia naturaliter extra materiam nec est, nec operatur: tum (& maximè) quia non solum forma est principium *quo* dispositionum, sed compositum, seu concretum, resultans ex forma, tanquam ex principio *quo*, est principium *quod* illarum; sed nõ potest compositum agere, nisi ratione formæ possessæ, & non valet haberi nisi medio aliquo nexu: ergo cum receptio, seu nexus qui se habet ex parte materiæ, nõ valeat præsupponi; cum ad illum sint dispositiones necessariæ, opus est, quod informatio, seu nexus, qui se habet ex parte formæ, sit pro priori antecedenti præsuppositus.

33. Rursus probatur intentum: non alia ratione Thomistæ, cum Angelico Magistro 1.p.q.12.a.2. docent, Deum nõ posse gerere vices luminis gloriæ, nisi quia licet formaliter expresse non includat informationem, tamen præsuppositiue, & materialiter illam includit, *tanquam aliquid indispensabile*: ergo informatio est indispensabiliter præsupposita ad rationẽ virtutis productiuæ.

34. Deinde probatur: pro illo priori naturæ, in quo forma substantialis effectiue causat, debet intelligi vt virtus intrinseca principij *quod*; cum talis forma non sit virtus extrinseca principij *quod*; sed informatio est de conceptu essentiali virtutis intrinsecæ; cum sit ratio, per quam est à virtute extrinseca distincta: ergo forma substantialis, vt principium dispositionum, debet præsupponi vt informans.

Notanter dixi, *informationem esse* indispensabiliter præ requisitam, in forma substãtiali, pro priori antecedenti, per modum prædicati quasi transcendentalis, & non pro priori naturæ, in quo influit per modum prædicati quasi formalis, (vt voluit noster Cerda) quia informatio de formali spectat ad prioritatem causæ formalis, quæ totum suum esse habet ad intra, in ordine ad materiam, seu cõstitutionem compositi; & non ad prioritatem causæ efficientis, quæ suum esse habet ad extra, in ordine ad operationem; cum in priori naturæ causæ efficientis non debeat intelligi id, quod essentialiter præsuppositiue, & quasi per modum prædicati quasi transcendentalis est præ requisitum, sed solum quod essentialiter formaliter est indispensabile; & ideo dixi, in priori causæ efficientis non debere intelligi informationem; sed solum debere pra supponi ad influxum principij *quod*.

Explicatur hæc ratio: forma, vt informans materiam, & cõstituẽs cõpositum, se habet vt causa materiæ, & compositi; sed hoc, vt cõstitutum, est effectus formæ: ergo hoc, in hac expressione, non intelligitur vt causa; ni dicas, pro eodem signo naturæ esse simul causam, & effectum.

Amplius expenditur: licet Petrus v.g. non possit Paulum gene-

rare, quin sit ab alio, saltim pro aliquo priori naturæ; tamen non est opus, quod pro illo priori, in quo intelligitur vt generans, intelligatur vt ab alio; non alia ratione, nisi quia hoc de materiali se habet ad generandum; sed informatio formæ etiã se habet de materiali ad operandum: ergo nõ debet intelligi in illo priori, licet in antecedenti præsupponi debeat.

35. Ex his colligo discrimen, quod versatur inter receptionem, & informationẽ, in ordine ad prioritatem, in qua forma suas producit proprietates dispositiuas; nam licet vtraque de materiali, se habeat, tamen informatio præsupponitur in prioritate antecedenti de materiali per se, at vero receptio subsequitur, vel est de materiali per accidens.

36. Dices: in priori causæ effectiuæ debet intelligi id, quod essentialiter est requisitum ad rationem concreti, seu supppsiti *vt quod* causantis; sed de ratione essentiali concreti, seu suppositi causantis saltim est informatio, vtique quia sine vnione intrinseca nõ valet intelligi concretum, vel suppositum: ergo saltim informatio debet intelligi in priori causæ effectiuæ.

Respondetur distinguẽdo maiorem; debet intelligi id quod est essentialiter requisitum, per modum prædicati formalis, concedo maiorem; per modum prædicati transcendentalis, nego maiorem: & distinguo minorem; de ratione essentiali suppositi est informatio intrinseca formæ, per modum prædicati transcendentalis, concedo minorem; per modum prædicati formalis, nego minorem, & consequentiam. Nam in priori causę effectiuæ non debent intelligi omnia prędicata essentialia causę; sed solum formalia, quæ sunt necessaria ad efficiendum. Constat in homine generante, qui essentialiter est ab alio; & tamen non generat vt ab alio; licet id, quod est ab alio specificatiuè sumptum generet: haud aliter in præsenti, licet non sit concretum, seu suppositũ absque informatione formæ, tamen quia informatio non est formaliter productio, nec de lynea operationis, seu naturę, ideo in illo priori non debet intelligi, licet debeat specificatiuè esse.

37. Dices iterum; signum causæ formalis datur antecedenter ad hoc, vt materia intelligatur vltimis dispositionibus disposita: ergo dispositio vltima non est indispensabiliter requisita ad informationem: ergo neque ad receptionem. ¶ Respondetur negando vltimam consequentiam: nam dispositiones solum causant in genere causæ materialis, & sic non debent intelligi in signo formæ; in quo non debet exprimi id quod spectat ad signum, seu ad causalitatem materiæ. Ratio autem quare dispositiones requirantur ad receptionem, & ad signum causæ materialis; & non ad informationem, nec ad signum causæ formalis, est, quia dispositio ex se est ad sigil-

sigillationem subiecti, seu ad tollendam indifferentiam illius: cum ergo materia sit ex se indifferens ad omnes species & formas; & forma ex se sit determinata ad species hominis, & Leonis. v. g. ideo dispositio est necessaria, non ad informationem formæ, sed ad receptionem materiæ; etiam si talis materia, pro signo formæ, sit in re disposita. Constat hæc doctrina ex dictis lib. 1. primæ partis Phys. disput. 3. q. 4. per totam: vbi dixi, formā recipi in materia in re existente, licet nō recipiatur in illa vt existente.

Adde, hanc obiectionem non procedere de dispositionibus prænijs; quia hæ iam supponuntur in materia, non solum antecedenter ad formæ informationem, sed etiā antecedenter ad formæ productionem; nedum antecedentia naturę, sed durationis.

§. X.

Primum fundamentum contrariæ sententiæ.

38. PRimum fundamentum primæ sentētię est; forma substantialis, non in abstracto, sed in concreto seu in subiecto producit proprietates: ergo non sunt dispositiones sigillantes materiam ad illius receptionem: probo consequentiam; dispositiones sunt necessariæ ad hoc, vt forma sit in subiecto; sed per te forma, quæ producit proprietates est in subiecto: ergo istæ non possunt subiectum disponere ad illius receptionem.

Respondetur concedendo antecedens; & negando consequentiam. Ad probationem distinguo maiorē; dispositiones sunt necessariæ, vt forma sit in subiecto per informationem, nego maiorem; per receptionem, concedo maiorem, & minorem, si verbum *est* solum stet pro sensu identico, & materiali; secus vero si stet pro sensu formali; hoc est, si sensus minoris sit, quod forma debeat esse realiter recepta, vt operetur; secus verò si sit, quod debeat intelligi recepta, antequā operetur, vel quādo operatur: nam in hoc sensu debet negari, cum consequētia: nam vt forma pro priori naturæ, *in quo* causa dispositiones, intelligatur in concreto, nō est opus quod prę-supponatur in subiecto per receptionem; sed sat est, quod præsupponatur in illo per informationem.

39. Dices: informatio est inseparabilis à receptione: ergo si forma est præsuppositiue informans, etiam erit prę-suppositiuè recepta. ¶ Respondetur distinguendo antecedens; informatio est inseparabilis à receptione realiter & specificatiuè, concedo antecedens; formaliter, & expressiuè nego antecedens, & consequentiam; nam genus causæ formalis est à genere causæ materialis distinctum; & sic, pro illo priori naturæ, *in quo* forma producitur à generante, vt informans materiam, non intelligitur

gitur vt recepta. Ni velis confundere genera, & prioritates causarum.

§. XI.

Secundum fundamentum.

40. SEcundum primæ sic procedit: in generatione substãtiali non solum intelligitur forma vt principium effectiuum dispositionum, sed etiam cõpositum; sed compositum constat ex forma informante, & ex materia recipiẽte: ergo implicat, quod pro illo priori intelligatur compositum, vt efficiens, & quod non intelligatur forma, vt informans, & materia vt recipiens.

41. Pro resolutione nota; concretum posse tripliciter fingi. Primo, ex forma informãte, & ex materia terminante informationem. Secundo, ex materia recipiente, & ex forma terminãte receptionem. Tertio, ex principio *quo*, *& quod* operationis. Dico prima concreta constituunt essentiam, quia ex se ordinantur ad intra, seu ad actũ essendi. Vltimum concretum constituit naturam, quia ex se ordinatur ad extra, seu ad actum operando. Et licet verum sit, quod tertiũ concretum (saltim præsuppositiuè) exigat per modum prædicati quasi transcendentalis vnum ex duobus concretis, vt principium *quo* operationis possideatur à principio *quod*, tamen hoc non debet intelligi in priori causæ effectiuæ, in quo solum intelliguntur rationes influendi. Vnde in illo priori non debet intelligi virtus operatiua, seu principium *quo*, vt informans, nec principium *quod*, vt recipiens, sed solum debent intelligi vt principia operationis.

Constat à simili, in forma substantiali, quæ licet eadẽ sit, in ratione essentiæ & naturæ, tamen quatenus exprimitur in ratione essentiæ, intelligitur ad intra, vt informans materiam, & cõstituẽs compositum; at vero vt exprimitur in ratione naturæ, licet præsupponat informationem per modum prædicati indispensabilis, tamen illam nõ exprimit, sed solum principium operatiuum proprietatum. Haudaliter in præsenti, vt forma intelligatur vt principium dispositionum, non est opus, quod exprimat informationem, sed solum quod illam supponat, pro signo antecedenti.

42. Quo supposito, respondetur concedendo maiorem; & distinguendo minorem; compositum constat ex materia recipiente, & ex forma informante, si accipiatur adæquate, & per modum essentiæ, vel prout requiritur ad essendum, concedo minorem: si accipiatur inadæquate, & per modum naturæ, vel prout requiritur ad operãdum, nego minorem, & consequẽtiam: nam vt concretum sit principium *quod* suarum dispositionum, non est opus quod supponantur omnes causalitates exercitæ, sed quod præsupponatur causalitas for-

formalis, quà possidetur forma, & quà est in actu, vt postea operetur, absque eo quod pro illo priori intelligatur talis informatio: nam hæc solum de materiali, per se, & vt prædicatum trãscendentale debet esse; non vero intelligi in signo causæ effectiuæ.

43. Dices: formaliter loquendo, prius est esse, quam operari; sed receptio, & informatio spectant ad esse: ergo priusquam forma intelligatur, vt principium proprietatum, debet intelligi, vt informans, & vt recepta.

Respondetur distinguendo maiorem; prius est esse, quam operari, esse quod requiritur ad operandum; vel esse, ex quo dimanat cõceptus naturę, concedo maiorem; esse quod de materiali, & peraccidens requiritur ad operãdum, vel ex quo non dimanat cõceptus naturæ, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam. Nã licet ex vtraque causalitate, formali & materiali, resultet esse adequatum; tamen, ad signum causæ efficientis, solum requiritur de formali, *esse*, ex quo resultat conceptus naturæ, per se se habẽs vt principium motus: cum ergo conceptus naturæ respiciens per se operationem, nõ resultet ex *esse* causæ materialis; cum materia sit expers totius actuitatis; sed ex *esse* causæ formalis; cum principium operationis sit actus; (iuxta illud, *in tantum res operatur, in quantum est in actu.*) Ideo non debet præsupponi in priori causæ efficientis, *esse* quod coalescit ex materia recipiente, & ex forma recepta; sed solum *esse* quod coalescit ex forma informãte, & ex materia informata.

44. Replicabis; conceptus naturæ non distinguitur à conceptu essentię; sed conceptus essentiæ in recto dicit informationem & receptionem: ergo & conceptus naturæ vtramque debet exprimere causalitatem.

Respondetur concedendo maiorem, si loquantur de cõceptu naturæ *in facto esse*; secus vero de cõceptu naturæ *in fieri*, seu de conceptu naturę pro signo in quo forma operatur dispositiones: nam in hoc, præscindit à receptione: non aliter, ac licet conceptus essentiæ *in facto esse* dicat in recto vtramq; causalitatem intrinsecam, tamen *in fieri*, pro signo materiæ, solum importat materialem.

§. XII.

Tertium fundamentum.

45. TErtium primæ sic procedit. Vt forma substantialis causet vltimam dispositionem debet esse existens: ergo debet intelligi extra omnes suas causas: ergo extra materialem: ergo recepta in subiecto: ergo proprietas ab ipsa dimanans non valet antecedere vt dispositio deseruiens ad receptionem.

Aliqui respondent, admittendo existentiam pro priori; non vero in priori causæ effectiuæ; & sic dicunt,

cunt, formam debere præsupponi existentem ad signum causæ effectiuæ, absque eo quod præsupponatur extra omnes suas causas, & extra materialem; nam vt intelligatur vt existens, solum est necessarium, quod intelligatur extra causas, à quibus participat existẽtiam, scilicet extra efficientem; nõ vero quod intelligatur extra materiam, à qua existentiam nõ participat.

46. Falsa solutio: nam licet verum sit, quod forma non participat à materia existentiam, tamen illam non valet habere vsque dum sit extra omnes suas causas: nam existentia est vltimus actus, seu vltima causa; & vt sic non valet præsupponi forma vt existens, seu extra vltimum actum, quin præsupponatur extra causam materialẽ. Quare melius respondetur concedendo antecedens, & negãdo omnes consequentias, defectu. *Appelationis.* Nam antecedens procedit in *sensu specificatiuo, & materiali*; & consequentia *in reduplicatiuo, & formali.* Vt ergo causa efficiẽs causet, certum est quod debet esse specificatiue existens; non vero quod debeat intelligi vt existens in tali priori; nam pro illo solum debet intelligi virtus causans; non vero conditio requisita ad causandum, seu existentia, quæ solum est conditio, & non virtus, quà agens agit.

47. Dices: existentia est vltima rei actualitas, seu vltimus terminus causarum: ergo quando est existens, est extra omes suas causas. ¶ Respondetur concedendo totum, in *sensu specificatiuo*, & *materiali*; & negando illud *in reduplicatiuo, & formali.* Nam licet forma intellecta in priori causæ efficientis debeat esse existens specificatiue, & reduplicatiue intelligi extra causas, quæ intrant ad conceptum naturæ; tamen non est op⁹ quod intelligatur reduplicatiue existens, nec extra causas, quæ solum sunt conditiones ad efficiendum, de quarum lynea est existentia. Vide quæ dicta sunt lib. 1. Physic. Disp. 3. q. 3.

48. Replicabis; in effectu causę efficientis intrat existentia de formali, seu in sensu reduplicatiuo: ergo in eodem sensu debet se habere in causa; vtique quia omnis ratio, quæ est in effectu de formali, debet esse de formali in causa.

Aliqui respondent, quod licet in causa effectiua debeat intelligi (pro priori naturæ, in quo causat) omne reduplicatiuum primarium effectus, seu omne formale primarium effectus; videlicet essentia creata; non tamen omne reduplicatiuum secundarium effectus, seu omne formale secundarium ipsius, videlicet existentia.

Sed hæc solutio non eneruat vim replicæ; nam ex eo in priori naturæ, in quo causa causat, debet intelligi per se primo natura, seu essentia, quia hæc datur in effectu, formaliter & primario causata; sed existentia est in effectu formaliter secundario causata: ergo in

causa

causa debet intelligi formaliter secundario pro illo priori.

49. Quare aliter respondetur, concedendo antecedens, & negãdo consequentiam. Nã ex eo quod existentia sit de formali in effectu, non sequitur quod debeat esse de formali in causa. Ratio est; quia in causa solum debet intelligi de formali, id per quod causat: cum ergo existentia sit, ex parte causæ, ratio secundaria per quam se habet vt effectus suæ causæ, absque eo quod sit ratio per quam se habeat vt causa sui effectus, ideo formalitas existentiæ non debet intelligi, sed esse in priori causæ efficientis, vt conditio necessaria ad causandum.

§. XIII.

Quartum fundamentum.

50. QVartũ fundamentũ primę sentẽtiæ sic se habet; omnis forma materialis producitur, à generãte, per actionem eductiuã; sed actio eductiua non producit formam, nisi ex subiecto disposito: ergo antecedenter ad hoc quod forma substantialis intelligatur vt principium suarum passionum, intelligitur vt formaliter recepta.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem: actio eductiua producit formam in subiecto disposito, actio eductiua adæquatè sumpta, vel quæ respicit esse adęquatum, cõcedo minorẽ; inadæquatè sumpta, vel quæ respicit esse requisitum ad operandum, nego minorem & consequẽtiam: Nam licet eductio, prout se tenet ex parte passi recipiẽtis, exigat dispositionem; tamen prout se tenet ex parte agentis, & ex parte formæ informantis, nullam exigit dispositionem; cum dispositio solùm se habeat ex parte causæ materialis.

51. Et vt solutionem penetres, nota dari nõ nullas voces, quæ nõ vnam, sed duplicem causalitatem exprimunt. Sicut vox *Actio immanens*, denotat causam efficientem, & materialẽ: & vox, *operari propter finem*, denotat efficientem & finalem. Sic *educere formam de potentia materiæ*, denotat efficientem, & materialem; quod nõ denotat vox *infundi*, nec vox, *communicãt*. Quare licet vox *eductio* adæquatè supta, prout vtramque exprimit causalitatem, exprimat receptionem; tamen formaliter illam non exprimit ly *infusio*, nec ly *communicatio formæ*; nam hæ solùm exprimunt causalitatem efficientem, & formalem, quæ solum sunt requisitæ ad hoc vt forma intelligatur vt principium suarum passionum.

52. Nota secundo, eductionem adęquate sumptam habere triplex munus: aliud in ordine ad agens, respectu cuius explicat munus actionis: aliud in ordine ad materiã, ex qua formã educit, respectu cui explicat munus passionis: & denique aliud in ordine ad formã, respectu cuius explicat munus motus.

53. Nota tertio, quod secundũ

mu-

munus, eductionis valet bipartiri: nã eductio, vt passio, potest intelligi vt causalitas, media qua forma informat materiam: vel vt causalitas, media qua materia recipit formam. In primo sensu materia se habet vt terminus informationis, vel tanquam subiectum *ex quo*, seu *de quo*; non vero vt subiectum recipiens, vel vt subectum, in quo substentatur forma.

54. His suppositis dico, quod vt forma intelligatur in signo causæ effectiuæ, vel vt principiũ efficiẽs passionum, nõ est necessariũ quod forma sit educta adæquatè, & secundum omne munus eductionis; sed solum quod sit educta inadæquatè, quoad informationem ex materia *de quo*, seu *ex quo*; non vero quoad receptionem, ex materia *in quo*. Ratio est, nam ad influxum effectiuum formæ, & suppositi, (vt dixi) per se solum se habet actus.

55. Dices, pro illo priori naturæ, in quo agens naturale communicat formam materiæ, est forma formaliter recepta; vtique quia pro illo priori debet intelligi actio hæc agentis, vt distincta ab actione creatiua; sed non est aliud principium distinctionis, nisi subiectũ *in quo*: ergo forma non solum præsupponitur vt informãs, vel vt inadæquatè educta ex materia *de quo* ad signum effectiuum ipsius, sed etiam vt recepta, vel vt adæquatè educta ex materia in quo.

Respondetur concedendo antecedens, si verbum *est* denotet (vt omnes supponunt) prioritatẽ *in quo*, seu temporis; secus vero si pro verbo *est* assignent ly *intelligitur*, vel ly *exprimitur*. Nam sic debet negari antecedens; quia hæc verba non denotant prioritatem *in quo* sed *à quo*, seu naturæ. Ad probationem concedo maiorem, & nego minorem: nam actio eductiua non solum ordinatur ad hoc vt forma materialis dependeat à subiecto *in quo*, seu à subiecto recipiente, sed etiam ad hoc vt dependeat à subiecto *ex quo*, vel ad hoc vt illius informatio sit à subiecto dependens. Vnde pro illo priori, licet non adæquatè, tamen inadæquatè saltim est eductio distincta ab actione creatiua, quæ est ex se independens, nedum à subiecto *in quo*, sed etiam à subiecto *de quo*.

56. Replicabis: vt causa efficiens operetur necessarium est quod intelligatur extra omnes suas causas: ergo extra materialem *in quo*. ¶ Respondetur negando antecedens; nam vt intelligatur vt efficiens, sat est quod intelligatur extra causas, interquas non debet numerari materialis, quæ ex se est expers totius actiuitatis.

§. XIIII.

Quintum fundamentum.

57. QVintum primæ sic procedit: nulla res in eodẽ genere causæ potest habere rationẽ causæ & effectus; vtique quia non potest esse prior & posterior seipsa,

sa, in eodem genere causæ; sed si forma substantialis causatur à dispositionibus ab ea causatis hoc sequitur, vtique quia causalitas dispositionum reducitur ad genus causæ materialis, in quo genere dispositiones *vt quo* causantur à forma; quia (vt dixi dub. præcedēti) omnia accidentia recipiuntur in materia, media forma substantiali: ergo dispositiones vltimæ formæ à forma non valent efficienter causari.

Respondetur distinguendo maiorem: res non potest est causa & effectus in eodem genere causæ *infimo*, concedo maiorem; *remoto*, nego maiorem: nam dispositiones sunt causæ materiales formæ, non in genere materiali receptiuo (in quo genere causantur à forma substantiali) sed solum in genere materiali dispositiuo. Causa autem materialis receptiua, & dispositiua, sunt duo genera infima, seu duę species causæ materialis vt sic: & ideo non repugnat mutua illarum causalitas. Constat hoc à simili in contritione, quæ efficienter principaliter dimanat à gratia: & tamen contritio intra Sacramētum, vt pars ipsius, causat instrumentaliter efficienter gratiam: si ergo in eodem genere effectiuè remoto valet dari, absq; repugnantia, mutua causalitas, quare nō poterit dari in eodem genere materiali remoto?

§. XV.

Sextum fundamentum.

58. Sextum fundamentum sic se habet nulla res potest esse causa suæ causę efficientis, vtique quia si illā causaret sequeretur, quod talis causa haberet esse, & non haberet esse, pro illo signo *in quo* causat: haberet esse, quia id quod non est, nō causat: nō haberet esse, quia si causatur à suo effectu, non potest habere esse antecedēter ad suum effectum: ergo forma substantialis non valet esse causa suæ vltimæ dispositionis.

Respondetur negando sequelā, quoad secundam partem: ad probationē dico, quod *esse* formæ substantialis, quod dependet à dispositionibus ab ipsa causatis non est *esse* indispensabiliter requisitum ad operandum, seu ad conceptum naturæ, qui resultat in forma substātiali, & sic vt intelligatur vt causa effectiua non est opus quod intelligatur extra materialem, sed extra requisitas formaliter ad operandum; & quod aliàs realiter, & specificatiuè sit extra illam. Constat à simili in exemplo actionis & termini: nam in opinione, quæ asserit actionem subiectari in termino, actio effectiuè causat terminū, absq; eo quod pro illo signo intelligatur recepta: & tamen in alio signo causatur materialiter ab ipso termino. Haud aliter in præsenti: nam forma substantialis, quæ habet esse extra causam effectiuā, & formalem antecedenter ad hoc vt habeat esse extra materialem, valet causare effectiuè dispositiones sigillantes materiam, ad illus receptionem.

§. XVI.
Septimum & vltimum fundamentum.

59. SEptimum sic: *quod est causa causæ, est causa causæ*; sed (per nos) forma est causa dispositionum, quæ formam causant: ergo forma est causa sui ipsius.

Respondetur distinguendo maiorem: quod est causa causæ, est causa causati, quando causat effectum, ea intentione vt causet, cõcedo maiorem; quando illum causat, absque tali intentione, nego maiorem: & distinguo minorem; forma est causa dispositionum, sub expressione dispositionum, & ea intentione vt causent, nego minorem; sub expressione proprietatũ, & absque intentione vt causent, concedo minorem, & consequentiam. Nam tunc causa causæ est causa causati, quando causa causat effectum, vt causet; idest ea intentione vt causet, vel ea intentione vt continuet suam causalitatem, in eodem genere: vt videre est in agente, quod causat essentiam effectus, vt in eodem genere causæ continuet causalitatem effectiuã: secus vero quando causat specificatiue causam, sub reduplicatione effectus, non ea intẽtione, vt causet, nec vt in eodem genere continuet illius causalitatem: licet postea in alio signo, & in alio genere, exerceat munus causæ; vt videre est in materia, & forma, mutuò se causantibus.

60. Etsi inquiras, vnde colligatur causam causare effectum cum intentione, vel absque intentione, vt causet.

Respondeo, partem affirmatiuam, non colligi ex eo quod causa causet effectum sub formalitate causæ: (vt aliqui existimant absque fundamẽto) tùm quia impossibile est, quod causatum sit reduplicatiuè tale, sub expressione causæ: tum quia solum sub expressione effectus causatur à sua causa. Colligitur tamen pars affirmatiua, quando causa non valet consummare suam causalitatem, absque eo quod effectus ipsius causet aliquid. Constat à simili in exẽplo allato agentis, quod non solũ causat essentiã, sed proprietates. Veruntamen quia non potest transire cum sua causalitate ad proprietates, nisi medio influxu improprio essentiæ, ideo essentiam causat ea intentione, vt causet: at vero forma, dum causat dispositiones, sub expressione proprietatũ, solum intẽdit munus naturę, quod sufficienter est consummatum in productione effectiua proprietatum, absque eo quod transeat ad causalitatem dispositiuã illarum; & ideo non causat proprietates ea intentione vt causet: non aliter ac materia non causat formam ea intentione vt causet; quia ipsa solum intẽdit causalitatem materialem, quam adæquatè habet cosummatam sine influxu formali formæ.

61. Dices primò: si proprietas dimanant à forma substantiali esset

set causa materialis formæ, sequeretur quod, pro illo signo causæ materialis, esset, & non esset, simpliciter: esset simpliciter, quia supponitur: non esset simpliciter, quia pro illo signo præcedit causam efficientem, à qua debet habere esse: ergo proprietas dimanans à forma effectiuè non valet exercere munus dispositionis.

Respondetur negando sequelã, quoad secundam partem; nã illud signum causæ materialis supponit signum causę efficientis, à qua habuit esse simpliciter, vt constat ex ordine, quo à nobis sunt signa causarum coordinata.

62. Dices secundo: prius forma recipitur in materia, quã recipiantur in illa proprietates, à formę dimanantes: ergo istę non deseruiũt, per modum dispositionum, ad receptionem formæ.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: nam antecedẽter ad hoc, vt forma substantialis, & proprietates ab ipsa dimanantes, intelligãtur receptæ in materia, intelligũtur proprietates vt dispositiones determinantes materiam ad receptionem formæ, & proprietatũ. Ratio huius est: nam post signum naturæ, in quo forma informat, forma producit proprietates, quæ mediãte forma afficiunt, in genere causæ formalis, materiam, vt ipsa, tali sigillatione affecta, recipiat per se primò formam substantialẽ, & per se secundo proprietates.

Et ideo docent Doctores, quod dispositiones sunt priores receptione formæ in genere dispositiuo; non verò in genere receptiuo, quia dispositiones non se habent respectu formæ, sicut quantitas respectu albedinis: nam hæc respicit immediatè *vt quo* albedinẽ, at vero illæ immediatè non recipiunt formam, sed sunt rationes determinantes, in genere causæ formalis, indifferentiam materiæ; vt ipsa tali determinatione affecta, recipiat primario formam substantialem, & secundario accidentalem propriam.

DIS-

DISPVTATIO SECVNDA DE ALTERATIONE.

EXplicata iam generationis natura, alterationis quidditatē explanare intendit Philosophus. Alteratio ergo teste Aristotele) *est mutatio, per quam alterum fit subiectum.* Nam (vt docet Porphyrius capite *de Differentia*) accidentales formæ non faciunt aliud, sed alterum; quia accidentalis differentia non facit *simpliciter*, sed *secūdum quid* solum differre: sed quia alteratio, secundum hanc nimis latam significationem, dicitur de omni accidentali mutatione; (cum quodlibet accidens aliqualiter faciat alterum) ideo non de alteratione secundum hanc disputamus, acceptionem; sed de illa, secundum quod est mutatio ad qualitatem terminata.

QVÆSTIO I.

Vtrum alteratio sit ab alijs distincta mutationibus?

§. I.

Differentia inter alterationem, & aliàs mutationes, reperta.

1. PLures differentias assignāt Doctores, inter alterationem, & aliàs rerum mutationes. Sed tamen determinatè adducit Toletus (in præsenti) inter generationem, alterationem, & alios motus. Prima est, ex parte termini *ad quem*: nam generatio, per modum termini *ad quem*, respicit substantiam, seu ens simpliciter, seu ens secundum quid motus localis vbi: at verò alteratio, solam qualitatem, per modum termini *ad quem*, respicit. Secunda differētia est ex parte termini *à quo*. Nam generatio est, à priuatiuo in positiuum; & alteratio, & alij motus, à contrario in contrarium. Ex hac tertia dimanat differentia; quia generatio non potest esse successiua; at vero alteratio, & alij motus, possunt esse successiui; cum inter terminos versentur positiuos. Quarta differentia est ex parte *subiecti*: nam subiectum generationis est ens in potentia: at verò alterationis, & aliorum motuum, est ens in actu. Quinta differentia est ex parte *temporis*: quia generatio ex natura rei præcedit alterationem,

tionem, & alios motus. Sexta differentia etiam accipitur *ex adiunctis*: quia in generatione semper expellitur aliqua forma, cum noua generatur; quod non semper accidit in alteratione. Vnde, quamuis in generatione *simpliciter, generatio vnius, fit corruptio alterius*: tamen in generationibus *secundum quid*, nõ semper vnius formæ generatio, est alterius corruptio. Sed ex his omnibus differẽtijs, Philosophus solum adducit (in præsenti) primam, & quartam: quia reliquæ, vel non inueniuntur in omni alteratione; vel simpliciter non sunt necessariæ, ad constituendam, & distinguendam alterationem, à cœteris motibus. His prælibatis, fit.

§. II.

Conclusio.

2. ALteratio, essentialiter & realiter est ab alijs distincta motibus. Est Philosophi, in præsẽti: & solet probari primò, ex eo quod alteratio est mutatio accidentalis, per quã subiectũ fit alterum secundum qualitatẽ: ergo alteratio est ab alijs mutuationibus essentialiter, & realiter distincta: quia generatio nõ est mutatio accidentalis; sed substantialis, ad substantiam terminata; & reliquæ mutationes, licet sint accidentales, non terminantur ad qualitatem, sed ad alia prædicamenta.

3. Secundò, ex eo quod mutatio essentialiter est tendentia subiecti in terminum, à quo accipit propriam speciem, sed terminus *ad quem* alterationis est essentialiter distinctus à terminis *a quibus* aliarum mutationum: ergo & alteratio est ab alijs distincta mutationibus. Cum ex distinctione terminorum *à quibus*, recte inferatur mutationum distinctio essentialis, & formalis.

4. Tertio denique solet probari, ex eo quod motus alterationis valet esse in rerum natura, sine alijs motibus: quia aliquando aqua recipit calorem, & mutatur à frigida in calidam, omnino quiescente aqua, secundum quantitatem & vbi: ergo motus alterationis est ab alijs realiter distinctus: cum separatio sit euidens distinctionis realis signum.

5. Sed tamen istæ rationes inefficaces sunt; nisi eis aliquid addatur; quia valent instari in generatione substantiali. Et ideo aliter probatur: ex eo quod qualitas potest dupliciter attingi, seu produci in proprio subiecto: primo *per se secundo*, vt passio, seu vt complementum substantiæ debitum, in primo generationis instanti: secũdo, *per se primo*, vt non exprimit titulum proprietatis, nec complementi debiti, sed accidentis, subiectum alterantis: atque in hac secunda acceptione, proprie, & per se terminat motum alterationis: ergo motum essentialiter, & realiter, ab alijs motibus distinctum; cum nullus alius sit, qui per se primo terminetur ad alterãdum subiectum,

iectum, secundum qualitatem.

§. III.

Obiectiones, quæ conclusioni obstant.

6. OBijcies primo: tota alterationis deffinitio proprie, & rigorose verificatur, de generatione: ergo generatio, & alteratio non distinguntur. Antecedens probatur. Generatio est mutatio, per quam subiectum fit alterum, secundum qualitatem: nam cum homo v.g. generatur, non solum ptoducitur per generationem homo, sed etiam qualitates, quæ faciunt hominem alterum, secundum qualitatem: ergo generatio proprie est alteratio. ¶ Respõdetur negando antecedẽs: ad probationem dico, verba deffinitionis debere intelligi *formaliter*, & *per se primo*; per quod excluditur generatio à ratione alterationis: nam generatio formaliter, & per se primo non est transmutatio ad alterum, secundum qualitatem; licet consequenter, & secundario, qualitatem producat.

7. Obijcies secundo: non omnis terminorum multiplicatio sufficit ad multiplicandas mutationes; quia vna, & eadem mutatio potest attingere terminos subordinatos; vt non semel diximus in 1.p. Philosophiæ ergo ex eo quod qualitas distinguatur realiter, & essentialiter à substantia, non colligitur alterationem realiter distinguia generatione, quia generatio, ordine quodam, valet vtrũque terminũ attingere. ¶ Respõdetur, iuxta dicta in 1.p. Philosophiæ, disp. .q. .§. n. .cõcedẽdo antecedens; & distinguendo consequens: ex eo quod qualitas distinguatur à substantia, non colligitur distinctio mutationum, si semper sint termini ex se subordinati, concedo consequentiam: si non semper sint termini ex se subordinati; sed aliquando primarij, nego consequentiam: cum substãtia & qualitas, vt faciens alterum secundum qualitatem, ad generationem & alterationem cõparentur, vt termini primarij, recte ex illarum diuersitate colligitur diuersitas alterationis à generatione.

8. Sed, vt melius percipiantur dicta, nota primo: qualitatẽ posse dupliciter produci in subiecto: quia sæpè producitur per se secundo per transmutationem, per se primo ad substantiam terminatã: & tunc talis transmutatio non est alteratio, sed generatio: sæpè etiã producitur per se primo per transmutationem ad qualitatem terminatam; & tunc talis transmutatio propriè est alteratio.

9. Nota secundo: hanc diuersitatem non esse singularem in qualitate: quia (iuxta ferè omnium Doctorum sententiam) etiam reperitur hoc in præsentia locali, & in quantitate: nam aliquãdo producuntur consequenter, & secundario, ex primaria substantię productio-

ductione; & aliquando per se, & primario, per motum localem, & augmentationem, per se ad hos terminos terminata.

10. Si autem inquiras: quando qualitas exigit ex se, consequēter & secundario produci; & quando per se, & primario? ¶ Respondetur; qualitatē produci consequenter, & secundario quotiescumque exercet titulum passionis, aut cōplementi substantiæ debiti, in generationis instanti: Nam quidat format, consequenter tribuit ea, quæ pro tunc debētur formę. Tūc vero produci per se, & primario, quando non habet rationem proprietatis, nec complementi debiti in instanti generationis.

QVÆSTIO II.

Quomodo qualitates augeantur intensiuè?

§. I.

Lux tituli.

1. PRo luce quæstionis nota primo: augmentum qualitatis diuidi in, extensiuum, & intensiuum. Extensiuum qualitatis absolutæ, datur, quando calor v. g. entenditur per diuersas partes subiecti, ratione quantitatis: vt quando calor, qui est in brachio, transit ad manum: qualitatis vero respectiuæ datur, quando scientia v. g. extenditur ad diuersa obiecta partialia. Intensiuum vero qualitatis absolutæ, datur, quando qualitas versatur circa eādem partem subiecti: vt quando eadē pars trāsit, de calida vt quatuor, ad calidā vt sex: qualitatis vero respectiuæ, quando scientia habet maiorem penetrationem alicuius conclusionis, seu obiecti. De hoc ergo augmento, & non de illo, hoc celebre procedit certamen.

2. Nota secūdo, discrimē quod versatur inter actiones ad qualitatem spectantes; nam quę terminātur ad nouam qualitatis productionem, appellatur *alteratio*; quæ ad intimiorem qualitatis productæ penetrationem, *intensio*; & quæ ad extractionem eiusdem qualitatis à subiecto, *remissio*.

§. II.

Varij dicendi modi impugnantur.

3. PRima (in hac re) sententia, asserit, intensionem qualitatis fieri per destructionem qualitatis remissæ & alterius magis intensæ productionem: ad modū, quo generatio vnius formæ substantialis prę supponit alterius prę existentis corruptionem.

4. Merito hic modus opinandi est ab scholis relegatus: tum quia ex illo sequitur caritatem, & gratiam remissam ammitti, absque ingressu peccati, per aduentum intensioris; quod (naturaliter loquēdo) nō benè sonat: tum quia ex illo etiam sequitur, caritatem intēsiorem Patriæ, esse entitatiuè distinctam,

ſt inctam, à charitate viæ; quod opponitur Apoſtolo dicenti, *charitas nunquam excidit*: tum quia ſi accidentia Hoſtię conſecratę intenderentur, non manerent eadem numero, quæ fuerunt in ſubſtantia panis; quod opponitur catholicæ doctrinæ, aſſerenti, Corpus Chriſti manere ſub eiſdem numero accidentibus, ſub quibus erat ſubſtantia conuerſa: tum quia experientia contrarium docet: nã quãdo aqua calida iuxta niuem ponitur, tũc remittitur, abſq; eo quod ab aliquo agẽte calido poſsit produci alia qualitas remiſsior, ab intenſiori diſtincta: ergo nec intenſio, nec remiſsio qualitatis, fit per corruptionem præexiſtẽtis, & alterius productionem.

5. Nec valet dicere; quod in omni motu, terminus *à quo* deſtruitur, per aduẽtum termini *ad quem*. Non (inquam) valet; nam (vt dixi lib. 5. Phyſic. diſp. & q. vnica, §. . nu.) de ratione termini *à quo* nõ eſt quod sẽper deſtratur entitatiuè, ſed ſat eſt, quod deſtruatur formaliter; quomodo qualitas remiſſa deſtruitur: nam vt remiſſa, non perſeuerat: & quod hæc deſtructio ſufficiat ad rationem termini à quo, conſtat in augmentatione, quę entitatiuè non corrumpit minorem quantitatem, vt producat maiorem, ſed ſolum illã formaliter, ſub ratione minoris, corrumpit.

6. Secnnda ſententia deffendit, intenſionem fieri, per depurationem ſubiecti à contraria qualitate: vnde dicunt, calorẽ vt duo intẽdi vt quatuor, per hoc quod auferantur à ſubiecto duo gradus frigiditatis.

7. Sed hic modus opinandi etiã diſplicet: tum quia intenſio eſt actio poſitiua, quæ per ſe non valet intẽdere deſtructionem: tum quia lux augetur, etiam ſi cõtrario careat: tum quia charitas Virginis Mariæ quotidie accepit augmentum, & tamen nõ depurabatur ab aliquo contrario; vtique quia in illa non fuit, nec originalis macula.

8. Tertia ſententia deffendit, intenſionem fieri per additioñem gradus ad gradum, ſeu per additionẽ partis quaſi entitatiuę qualitatis, ad partem quaſi entitatiuã eiuſdẽ qualitatis: appellantur autem in præſenti, gradus, & non partes; quia partes magis deſeruiunt ad extenſionem, quam ad intenſionem.

9 Sed antequam hic modus opinandi reijciatur, opportet vt videas diſcrimen reperrum interſectatores huius opinionis. Nã Pater Vazquez (cum pluribus Doctoribus) aſſerit, hos gradus ſolum eſſe numericè diſtinctos. Contra quem ſic inſurgo: nam ſecundum doctrinam D. Thomæ, duo accidentia ſolo numero diſtincta, non valent eſſe in eodem ſubiecto; ſed hi gradus ſunt in eadem parte ſubiecti: cum ex illis fiat intenſio: ergo diſtinctio numerica horum graduum non eſt ſufficiens ad intenſionem, data hypotheſi quod ſo-

lo

lo numero distinguantur.

10. Etsi pro Pater Vazquez dicas: quod ex omnibus his gradib' fit vnum accidens Completum, indiuiduatum ab eadem parte subiecti; non aliter ac ex materia, & forma rationali, fit vnus numero homo. Contra est; nam sicut accidens hoc totale & completum, ex omnibus his qualitatibus gradualibus indiuiduatur à subiecto, adęquatè distincto; sic quilibet gradus, vel qualibet qualitas partialis, debet indiuiduari à subiecto, partialiter distincto, vt partialiter numericæ distinguantur; sed omnes gradus qualitatis intensæ sunt (in hac opinione) in eadē parte subiecti; ni confundas intensionem cum extensione: ergo nō sunt partialiter numericè distincti, vt ex illis valeat fieri vnum accidens totale.

11. Quare Pater Suarez affirmat, hos gradus esse dissimiles, & specie distinctos. Sed contra est *primò*, nam si hæc dissimilitudo gradualis infert distinctionem specificam: ergo ex omnibus non fit vnū per se, perfeitate essentiali, sed vnū per accidens; vtique quia si ex partibus quantitatis fit vnum per se, perfeitate essētiali, est quia omnes partes sunt eiusdem rationis. Cōtra est *secundo*: nam dum subiecto calido *vt vnum*, aduenit alius calor dissimilis; vt fit calidum *vt duo*, vel aduenit alius æqualis intensionis cum illo, qui erat; vel alius intensionis duplicatæ. Si primum: ergo non habent dictionem specificam. Si secundum: ergo ille, qui aduenit est sufficiens vt subiectum sit calidum vt duo. Contra est *tertio*: si hi gradus specie distinguuntur: ergo secundus non interdit essentiam primi, sed aliam distinctam. Contra est *quarto*: nam qualitates spirituales admittunt augmētum intensiuum; & tamē istæ, quia spirituales sunt, non constant ex pluribus qualitatibus partialibus; vt cōstat in anima rationali, quę partibus (etiā entitatiuis) caret, quia spiritualis est: ergo de ratione intensionis nō est gradualis compositio; præcipue cum hæc expressè sit à Sancto Doctore 2.2.q.24.ar. 5. ab his qualitatibus relegata; his verbis: *Charitatem nō augeri per additionem charitatis ad charitatem.*

12. Quarta sententia, (pro qua stant Patres Carmelitæ) docet, intensionem fieri, per additionem modi, realiter à qualitate distincti; qui ab ipsis appellatur modus maioris radicationis: nam per illū qualitas magis, ac magis radicatur in subiecto.

Etsi ab eis inquiras; quid sit iste radicationis modus? & an modus minoris radicationis maneat cum alio maioris radicationis?

Respondent ad primum; modū istum esse ab essentia, existentia, & inhærentia qualitatis distinctum; esseque è perfectionem ipsius qualitatis intra propriam lineam; quia ratione huius maioris radicationis, magis perficitur calor intra lineam caloris. Ad secundum dicūt, minorem radicationem non manere

nere cum maiori; tum quia duo accidentia, solo numero distincta, nō possunt esse in eadem parte subiecti: tum quia intensior (vt perfectior) continet, alios virtualiter eminenter.

13. Sed etiam hæc displicet: tū quia hic modus opinandi nullibi est insinuatus ab Angelico Magistro: tum quia absque hoc modo potest intelligi, & esse intēsio qualitatis: ergo vt superfluus debet reijci. His ergo impugnatis opinionibus, sit.

§. III.

Decisio quæstionis.

14. QVinta sentētia (quam pro conclusione amplector) docet, intensionem fieri per maiorem radicationem, seu actuationē qualitatis in subiecto. Pro conclusionis luce nota; quod agens, per actionem alteratiuam, producit in subiecto qualitatem, quoad entitatem, & quoad intensionem, entitatiuè sumptam; vt postea per actionem intensiuam, absque noua aliqua entitate, illam intendat, per maiorem actuationem, & radicationem, ex parte formæ; & per maiorem receptionē ex parte subiecti.

15. Hoc supposito, Constat primo nostra assertio à sufficiēti partium enumeratione. Constat secūdo, ex eo quod subiectum sit, & est magis calidum, per hoc præcise, quod calor magis vniatur subiecto; vtique quia forma, (virtuali seu graduali gaudens perfectione) absque aliqua entitate, vel modo superaddito, valet magis ac magis actuare subiectum, vsque dum totaliter ei communicetur: vt cōstat in anima rationali, quæ iuxta capacitatem subiecti, in quo est, participatur ab illo, per hoc præcisè, quod magis ei vniatur: ergo intensio solum fit per maiorē qualitatis radicationem, informationem, seu vnionem indistinctam, quod idem est.

16. Hanc nostram rationē eleganter docet D. Thomas 2. 2. q. 24. ar. 5. o. & 1. 2. q. 52. ar. 2. o. vbi sic ait. *Augmētum habituum, & aliarum formarum, non fit per additionem formæ, ad formam; sed per hoc, quod subiectum magis vel minus perfectè participat vnam & eandem formam.*

17. Dices; forma substantialis virtualiter multiplex, est ex se magis ac magis vnibilis subiecto; & tamen non est capax intensionis: ergo ex maiori informatione, vel vnione, non stat intensio. ¶ Respondetur distinguendo maiorem; forma substantialis est magis ac magis vnibilis subiecto, intra eādem speciem, seu rationem formalem, nego maiorē, intra diuersam speciem, seu rationem formalem, concedo maiorem, & minorē: negoque consequentiam. Nam omnes gradus à forma substātiali dimanantes differunt specie, & sic ex illis non fit intensio, quæ essentialiter exposcit, quod augmentum fit intra eandem rationē formalē.

18. In-

18. Inquires: an qualitas subiecto capaci communicata, debeat illud actuare secundum omnem intensionem, quam habet? ¶ Respondetur negatiuè, nam carentia communicationis totalis non solum dimanat ex subiecti incapacitate, sed etiam ex deffectu virtutis actiuæ: vt constat in luce diffusa à Sole, quæ manè non communicatur aëri totaliter, quia Sol, ratione distantiæ, non habet virtutē sufficientem, vt lucem ei totaliter communicet.

Inquires secundo. An calor abstractus ab igne habeat in abstracto maiorem intensionem, quā abstractus ab homine? ¶ Respōdetur negatiuè: quia intensio essentialiter exposcit subiectum, quod intrinsecè actuat.

§. IV.

Fundamenta conclusioni opposita.

19. PRimum sic: quando intenditur qualitas, producitur (per actionem practicam) aliquid, quod non erat in rerum natura; vtique quia ratione illius actionis fit subiectum de nouo magis calidum: ergo aliquid de nouo producitur in ipsa qualitate intensiori. Probo consequentiam; qualitas, per actionem alteratiuam, nō fuit totaliter producta: ergo necessarium est, quod per actionem practicam intensiuam producatur aliquid, ratione cuius sit totaliter producta; sed hoc aliquid est intensionis modus: ergo intēsio addit, supra qualitatem, aliquam entitatem, saltim modalem. Huius argumenti solutionem habes l.b. 2. disp. 2. q. 2. §. 6. Vbi dixi; nouā termini expressionem esse sufficiētem ad nouæ actionis practicę terminationem. Vide quæ ibi dicta sunt.

Et adde: hanc nouam termini connotationem, seu expressionē, esse sufficientem ad hoc, vt terminus sub illa de nouo dicatur fact', seu productus: non aliter ac in opinione D. Thomæ Corpus Christi dicitur factum ex pane, per hoc præcisse quod connotet desitionē panis, quam antea non connotabat. Ad vltimum argumenti dico, totam entitatem qualitatis esse per actionem alteratiuam productam; etiam si tunc non sit totaliter producta; quia tunc non actuat, & informat subiectum, secūdum omnem virtualitatem, quam habet.

20. Secundum sic: Deus potest separare à subiecto albedinem intensissimam niuis, & alterius Corporis minus albi; sed (in hoc casu, albedo abstracta à niue non est intensior per maiorem radicationē; cum non possit dari radicatio quæ non sit in subiecto: ergo qualitatis intensio non fit per maiorem radicationem.

Respondetur concedendo maiorem; & negando suppositum minoris: nam qualitas in abstracto (vt dixi supra) non potest seruare intensionem, quam in subiecto, & depen-

dependenter ab illo, essent aliter exercet: vt constat ex Diuo Thoma 1.2.q.53.a.2.ad 3.

21. Dices: Deus valet accidẽtia separata conseruare: ergo cum eadem intensione, qua erant in subiecto; cum intensio etiam sit accidens. ¶ Respondetur concedendo antecedens, & negando cõsequentiam: nam intensio formaliter accepta solum conuenit formis in concreto: vnde sicut Deus non valet facere essentiam rei, sine prædicatis, quæ ei essentialiter conueniunt; sic non valet conseruare qualitatem intẽsam, sine subiecto, à quo essentialiter dependet. Per quod patet etiam ad instantiam, quam solent adducere contrarij, de scientia separata à Christo Domino, & ab alio homine: nam in abstracto, (quantum est ex se) tantam perfectionem, & latitudinem habet vna, quam alia; licet per ordinẽ ad Christum Dominum maiorem extensionem habeat, quam per ordinem ad alium hominem; non vero maiorem intensionem formalem; quia hæc solum datur in subiecto cui inhæret; vt non semel dixi.

22. Tertium fundamentum cõtra nostram conclusionem, sic se habet: si vera est nostra conclusio, gratia subiecto capaci vnitæ, ex necessitate tribuet ei omnem effectum, quem valet præstare: vtique quia forma in subiecto capaci exercet omnem suam virtualitatẽ; ergo in Beatissima Virgine Maria debuit exercere omnem intensionem in primo instanti suæ Immaculatæ Conceptionis; quod non dices: ergo, ne sequatur hoc inconueniens, dicendum est, intensionem non fieri per maiorem radicationem.

Respondetur distinguendo antecedens: gratia tribuit omnẽ effectum subiecto capaci; si sit in illo formaliter, secundum omnem virtualitatem; hoc est totaliter communicata ab agente; concedo antecedens; si solum sit formaliter communicata, quoad aliquã, vel aliquas virtualitates, nego antecedens, & consequentiam: nam carentia communicationis totalis non solum dimanat ex incapacitate subiecti, sed etiam ex debilitate agentis necessarij, vel ex voluntate liberi vt constat ex dictis.

TERTIA DE NVTRITIONE ET AVGMENTATIONE.

PER acta explicatione generationis, & alterationis, de augmentatione recto ordine est disputandum; & quamuis augmentatio proportionaliter secundum omnem quantitatem, etiam modalem, attendatur, (vt constat ex supradictis) proprie tamen, & formaliter loquendo, augmentatio in rebus formaliter quantis reperitur. De hac ergo est sermo in præsenti.

QVÆSTIO VNICA.

Vtrum nutritio sit ab augmentatione realiter distincta?

§. I.

Definitiones nutritionis & augmentationis.

1. NVtritio stricte sumpta sic communiter definitur; *est actio viuentis conuertens substantiam alimenti in substantiam viuam ipsius aliti.* Per primam particulam conuenit cum alijs actionibus; per alias vero differt ab aggeneratione, seu nutritione non viuenti, quæ fit per iuxta positionem, & non perintus sumptionem, sicut viuentium nutritio. Hæc autem aggeneratio, seu nutritio lata non viuentium definitur per hoc, quod fit, *acquisitio partialis substantiæ.*

2. Dices ignis nutritur proprie; vtique quia conuertit combustibile in substantiam ipsius, per virtutem sibi intrinsecam, & propriam; & tamen caret vitâ: ergo de ratione essentiali nutritionis proprie dictæ, non est quod conuertat substantiam alimēti in substantiam viuam aliti. ¶ Respondetur negando antecedens; nam actio ignis per se terminatur ad alium ignem numero distinctum; licet per accidens, ratione continuationis, conuertat substantiam conuertibilis in propriam substātiam.

3. Ex his colliges; differētias, quæ versantur inter nutritionem & generationem: nam generatio

per

per se respicit aliam numero substantiam in specie similem generãti; at vero nutritio per se solũ respicit partem ipsius nutriti. ¶ Ex hac oritur secunda, scilicet, quod virtus generatiua residet in semine à generante decisso; at vero virtus nutritiua in ipso residet nutrito.

4. Augmentatio stricte sumpta sic communiter definitur; *est actio viuentis tendens à minori ad maiorem quantitatem ipsius viuentis.* Vltima particula ponitur ad excludendas augmentationes non viuentium, quæ proprie non sunt tales, vel quia non fiunt per virtutem sibi intrinsecam, & propriam; vel quia non fiunt per intus sumptionem, sed solum per iuxta positionem. His ergo breuiter explicatis sit.

§. II.

Conclusio.

5. NVtritio, & augmentatio, sunt actiones realiter distinctæ. Fere omnes Thomistæ probant conclusionem; tum ex distinctione terminorum; nam nutritio per se respicit substãtiam, augmentatio vero quãtitatem, à substantia realiter distinctam: tum ex eo quod potest, saltim supernaturaliter, dari nutritio absque augmẽtatione: tum denique quia subiectum nutritionis est distinctum a subiecto augmentationis; nam nutritionis est materia prima, & augmentationis est totum compositum.

6. Sed istæ rationes, (vt bene inspexit Ioannes à Sancto Thoma) inefficaces sunt; nam omnes possunt instari in generatione substantiali: tum quia forma substantialis est realiter à quantitate distincta: tum etiam quia potest supernaturaliter à Deo impediri resultantia quantitatis: tum deniq; quia forma substantialis subiectatur in materia nuda, & quantitas in toto composito: (vt dixi. q. 3) & tamen omnes Doctores docent generationem substantialem per se primo terminari ad formam substantialem, & per se secundo ad quantitatem, tanquam ad passionem illius: ergo similiter potest dici, nutritiõnem per se primo terminari ad partem substãtiæ, & per se secundo ad partem quantitatis, tanquam ad passionem ipsius; vtique quia sicut se habet tota quantitas respectu compositi, vel respectu totius formæ, sic pars quantitatis respectu partis substantiæ.

7. Quare hac relicta ratione, sic illam probo. Quantitas partialis non tantum potest attingi secundum se, vt est proprietas consecuta & debita substantiæ partiali, sed etiam vt fundat relationem maioritatis, vel vt exercet munus quantitatis auctæ; sed sub hac retione non est proprietas debita parti substantiæ, sed aliquod accidens commune, quod ex se nõ exprimit dependentiam: ergo sub

hac

hac ratione est terminus primarius alicuius actionis ab alijs realiter distinctæ: at qui hæc est augmentatio: vtique quia (vt constat ex illius definitione) est motº à minori ad maiorem quantitatē: ergo augmentatio est à nutritione realiter distincta. ¶ Confirmatur hæc ratio ex dictis in 1.p. Logicæ disp. 1.q.3.§.5.n.13. nam licet genus, vt pars definitionis, sit per se secundo à Logica attingibile, tamen quia vt vniuersale non explicat rationem partis dependentis, sed totius independentis, est etiā per se primo à Logica attingibile; sed quanticas non solum est passio substantiæ corporeæ, sed etiam est accidens tendens ad maioritatem: ergo sub hac ratione potest per se primo terminare augmentationis actionem: ergo augmentatio est à nutritione realiter distincta; vtique quia nutritio nullo modo valet respicere quantitatis maioritatem. Per quod patet ad rationem dubitandi supra appositā: nam licet quantitatis, secundum se, sequatur ad corpus totaliter, & partialiter, tanquam proprietas ipsius, tamen sub expressione maioris; in qua non exprimit, nec rationem passionis, nec rationē dependentiæ, valet per se primo terminare actionem augmētatinam.

8. Dices: secundum Philosophū in hoc lib. cap. 5. text. 41. *Nutritio idem quod accretio existit, ratio tamen est diuersa*: ergo, iuxta mentē Aristotelis, nutritio non est ab augmentatione realiter distincta.

Respondetur cum Diuo Thoma loco citato lect. 17. Philosophum loqui de nutritione & augmentatione ax parte materiæ circa quam versantur, quia idem alimentum est materia circa quam versantur istæ duæ actiones realiter distinctæ, tam ex parte termini, quam subiecti in quo sunt. Et quod identitas realis ex parte materiæ *circa quam*, non obstet ad distinctionem realem, constat in obiecto voluntatis, & intellectus, quod realiter idem est; & tamen potentiæ sunt realiter distinctæ.

9. Inquires: an augmētatio duret pro toto tempore, quo durat nutritio. ¶ Respondeo negatiuè; nam nutritio durat pro toto tempore, quo durat alitum: at vero augmentatio solum pro tempore, quo animal augetur.

LIBER

LIBER SECVNDVS GENERATIONIS.

IN hoc libro disputat Philosophus de qualitatibus,& numero elementorum; & etiam de mixto,in quo elementorum resident qualitates ; & denique tradit discrimen inter in corruptibilia,& corruptibilia coropra,dicens,*in corruptibile semper idem numero permanere, corruptibile vero permanere saltim idem secundum speciem; sed idem numero, postquam est corruptum*, numquam reparari posse.

DISPVTATIO PRIMA, DE ELEMENTIS ET EORVM QVALITATIBVS.

QVamuis Aristoteles lato calamo disputet,in. 3. de cœlo, de qualitatibus & numero elementorum;tamen quia in hoc.2. de ortu & interitu, vtiliorem de elementis, eorumque qualitatibus adducit doctrinam, ideo in præsenti hanc aggredimur disputationem.

QVÆSTIO I.

Vtrum elementa sint tantum quatuor?

§. I.

1. FErè omnes vno ore fatentur elementa esse plura: tũ quia mixtiones in rerum natura quotidie factæ, nõ possunt fieri ex vnico elemento : tum quia experientia docet tria, ad minus, esse elementa, quæ propria loca, suæ consecreationi proportionata, determinatè exposcunt: nã *terra* determinatè exigit locum infimum: *aqua* locum terræ superiorem; & denique *aër* esse supra vtrumque naturaliter exigit.

Cæte-

Cæterum quia experientia non ita apertè manifestauit locum cõnaturalem ignis, ideo regulariter Pythagorici sentiunt, tria tantum esse elementa, & ignem non esse elemẽtum, sed mixtum quoddam, virtute Solis in his inferioribus productum.

2. Sed pro difficultatis luce nota: quod nomine *elementi*, (in præsenti) non intelligimus simplices entis naturalis partes, quibus (vt supra vidimus. 1. p. huius operis, dispu. 1. quæst. 1. §. 2. num. 2.) propriè conuenit definitio ibi à Philosopho tradita; sed intelligimus corpus completum & simplex, quod cum corrumpitur non est in alia corpora resolubile. Dicitur autem tale corpus *simplex*, non quia non sit ex materia & forma compositum, sed quia ex se seu naturaliter, non exposcit, per modum dispositionis, ad mixtionem oppositarum qualitatum; sicut alia corpora corruptibilia, quæ oppositis contrarijs, seu quasi permixtis, & ad debitum temperamentum redactis, disponuntur qualitatibus. His namque prælibatis, sit.

§. II.

Conclusio.

3. IN rerum natura elementa sunt quatuor; scilicet, *ignis, aer, aqua, & terra*: ita vt nec sint plura nec pauciora. Hanc docet Philosophus, in præsenti, in exordio capitis tertij dicens, *cum autem quatuor sint elementa &c.* ergo de mente Philosophi non est dubitandum.

Ratione probatur conclusio; proprium est elementi moueri in locum cõnaturalem & proprium; vtique quia omne quod mouetur in locum debitum, vel est elemẽtum, vel participat cum prædominatione qualitates elementi, existentis in tali loco; sed quatuor sunt loca naturalia, in quæ mouentur omnia corruptibilia; vtique quia *terra*, connaturaliter mouetur, & quiescit, in infimo loco: *aqua*, in intermedio infimo: *aër*, in intermedio superiori: & denique *ignis*, in superiori, & supremo: ergo quatuor sunt elementa, quæ ex se mouentur in his locis, in quibus cõnaturaliter quiescunt & resident.

4. Probatur secundo: quatuor primæ qualitates, quatuor modis possunt reperiri in subiecto, absque permixtione contrarij; vt experientia docet in quatuor elementis in conclusione præsignatis: ergo subiectum, quę absque permixtione has primas obtinẽt qualitates, sunt elementa vtique: quia nullum est mixtum, quod absque permixtione cõtrarij, primas participet qualitates.

Hæc ratio specialiter probat existentiam quarti elementi, videlicet ignis; nam illud est elemẽtum, quod absque permixtione contrarij primas obtinet qualitates; sed ignis connaturaliter obtinet

tinet calorem, absque frigiditatis permixtione: (vt omnes docent Doctores) ergo ignis verè & propriè est elementum.

§. III.

Aduersariorum impugnationes.

5. PRima sic procedit: si ignis esset elementum, daretur in rerum natura sphæra, in qua naturaliter quiescereet; sed hæc non datur: ergo nec quod ignis sit elementum. Minor probatur: si daretur in rerum natura sphæra ignis, absque dubio haberet proprium & connaturalem locum infra concauum lunæ, & supra locum aëris; (vt docent sectatores nostræ sententiæ) quia impossibile est dari elementum in rerum natura, quod non poscat certum & determinatum locum suæ perfectioni, & conseruationi accommodatum; & cum igni tribuatur supræma leuitas, tenendum est, locum & sphæram illius esse superiorem reliquis locis elementorum; sed infra concauum lunæ non datur sphæra ignis: ergo nec in rerum natura.

Minor probatur: ignis ex natura sua lucidus est, ac per consequens visu esset manifestus; quia visu percipimus exhalationes ignitas, quæ tantæ non sunt magnitudinis: ergo sphæra integra ignis, quæ (iuxta sectatores nostræ conclusionis) magnitudine maximè excedit aliorum elementorum sphæras, visu esset manifesta.

6. Nec valet dicere: huiusmodi manifestationem impediri lumine Solis. Non (inquam) valet, quia (saltim in nocte) visu nobis manifestaretur: vt constat in luce stellarum, & exhalationum, quæ, etiam si die impediatur, à luce maioris luminaris, tamen nocte percipitur à visu. Et ideo respondetur, concedendo maiorem, & negando minorem. Ad probationem dico; ignem non conspici à visu propter nimiam & perfectissimam diaphaneitatem, quam in se habet; quia vt aliquid oculis conspiciatur corporeis, vltra illuminationem exigit permixtionem alicuius opacitatis, vt patet in aëre illuminato, qui propter eandem diaphaneitatem, non conspicitur à visu, etiam si sit medium aptum, vt species sensibiles oculis communicentur; & etiam cõstat in aqua, quæ non ita perfecte conspicitur, sicut terra, propter eandem rationem.

7. Secunda impugnatio: si ignis in sphæra assignata existeret, reliqua consumeret elementa; & etiam astrorum virtutem corrumperet: & denique nimio calore hæc inferiora destrueret: ergo existentia huiusmodi elementi est contra perfectionem, & debitum ordinem vniuersi.

Respondetur negando sequelam,

lam, quo ad omnes partes; quia licet ignis sit maxime actiuus ratione caloris, est tamen maximè rarus; & ideo aèr continuus facile resistit, ratione densitatis, & humiditatis; quia omnia in pondere, & mensura fecit Dominus, & elementis inferioribus maximam concessit densitatem, vt facilius superioribus resistant: concauum namque Lunæ, nullo modo patitur ab igne, quia cum sit sphæra alterius ordinis, non potest recipere ab igne, neque ab alio inferiori, qualitates alteratiuas: neque existimandum est astrorum influentias in sphæra ignis vri: quia influxus cœlestes non communicantur his inferioribus, per emissionem alicuius substãtiæ immediatè ab astris productæ, sed per lumen ab illis in aère productum.

8. Tertia impugnatio: ad mixti productionem tria sufficiunt elementa: maximè cum in his, quatuor primæ reperiantur qualitates, quæ, ad debitum temperamentum, mutua actione & repassione redactæ, valent disponere ad formam cuiusuis mixti: ergo absque fine assignatur quartum.

Respondetur distinguendo antecedens: ad huius vel illius mixti productionem tria sufficiunt elementa, concedo antecedens: ad omnium mixtorum productionem tria sufficiunt nego antecedens, & consequentiam: nam licet verum sit, quod aliqua mixta valeant esse in rerum natura absque igne, tamen omnia non essent sine igne, neque producta absque illo conseruarentur: quia sphæra ignis est valde necessaria, vt astra perfectius valeant in his inferioribus proprios effectus producere.

9. Quarta impugnatio desumitur ex Philosopho. 3. de cœlo: qui non enumerat quatuor elementa: & ex 1. Geneseos vbi expresse tantum fit mentio trium elementorum.

Ad primam impugnationis instantiam respondetur Philosophum ibidem solum numerare, vel prima principia entis naturalis, vel elementa, quæ simpliciter sunt necessaria ad mixtionem.

Ad secundam respondetur, Moysem non numerasse ignem, in principio creationis; quia enarratio illa rudi populo scripta tantum debebat continere creationes, quæ sunt nobis valde manifeste: qua de causa nulla fuit ibidem facta mentio creationis Angelorum.

10. Vltima impugnatio: loca naturalia tantum sunt duo: videlicet sursum, & deorsum; quibus superaddere possumus locum medium, qui aliqualiter participat extremorum proprietates: ergo elementa quæ ex se exigunt naturalia loca in quibus naturaliter quiescant sunt tantum

tum tria.

Respondetur distinguendo antecedens: loca naturalia sunt tuntum duo, absolutè accepta, concedo antecedens: relatiuè accepta, nego antecedens, & consequentiam: nam locus sursum, & deorsum, relatiuè acceptus, non determinat tantum duas sphæras, aut duo loca naturalia rerum corruptibilium, quia quilibet locus respectu alterius inferioris dicitur, sursum, & respectu superioris, deorsum. Adde: quod si absolutè considerentur hæc loca: valent subdiuidi: nam locus sursum rerum sublunarium, alius est supremus, & alius infra supremum: & similiter deorsum, alius est infimus, & alius supra infimum: imò si hoc argumentum aliquid conuinceret, orbes & sphæras cœlestes de medio tolleret.

QVÆSTIO II.

Vtrum qualitates primæ sint tantum quatuor?

(?)

§. I.

Explanatio quæstionis.

1. PRo quæstionis captu nota, primo; quod bifariè aliquid dicitur primum; *negatiuè*, scilicet, *& positiuè*: negatiuè dicitur primum id, quod non ducit originem ex alio: positiuè verò dicitur primum, quod est primum principium alterius.

2. Vlterius, primum positiuè, tale, dupliciter accipitur; primò absolutè, in certo & determinato genere, quia in illo non præsupponit aliud: licet alia illius generis illud præsupponant: secundò determinatè in aliqua specie, quia in illa non præsupponit aliam entitatem, licet alijs in tali specie præsupponatur: sit exemplum; quatuor primæ qualitates possunt dici absolutè primæ, in genere qualitatis, vel in certa, & determinata qualitatis specie, scilicet passionis, vel passibilis qualitatis: vt ergo primæ qualitates dicantur primæ, absolutè in genere qualitatis, opus est quod in tali genere nullam aliam præsupponāt qualitatem: & quod aliæ qualitates illas præsupponāt; & vt dicantur primæ in determinata specie, necessarium esse quod in tali specie alias non præsupponant, & quod aliæ illas præsupponant.

Regulariter autem istæ primæ qualitates appellantur alterabiles: quia licet alteratio largè sumpta dicatur de quacumque actione, quæ per se primò terminatur ad qualitatem, tribuitur tamen strictè actionibus, quæ terminantur successiuè ad qualitatem, cum exclusione cōtrarij; & cum actio, quæ per se primo terminatur ad calorem, frigiditatem, humiditatem, & siccitatem, semper sit successiua, & cum expulsione contrarij,

trarij, ideo huiusmodi qualitates strictiori titulo appellantur alterabiles.

3. Nota secundò: huiusmodi primas qualitates nō esse primas absolutè, & positiuè, in genere qualitatis; quia quam plurimæ sunt qualitates, quæ ex se non præsupponunt aliquam ex his qualitatibus; vt videre est in figura ex terminis quantitatis resultante, & in alijs qualitatibus immediatè ex substantia resultātibus: quare huiusmodi qualitates, vel non sunt primæ, vel tantum sunt primæ in aliqua specie huius generis.

§. II.

Conclusio.

4. QVatuor primę qualitates solum sunt primæ in specie qualitatis alterantis cum oppositione, nam hæ solum mutua actione, per alterationem strictè sumptam, expellunt à subiecto; ita vt inter qualitates alteratiuas materiales, quæ propriè habent contrarium, huiusmodi qualitates dicantur primæ, & reliquæ secundæ, in quantum has præsupponunt.

Constat hæc nostra assertio ex Philosopho in hoc libro, cap. 2. vbi colligit calorem, & frigiditatem, humiditatem, & siccitatem, esse primas qualitates quia sunt extrema primarum contrarietatum. Audi ipsum. *Constat non omnes corporis cōtrarietates, species, & principia facere, sed eas solum quæ subtalem cadunt; nā contrarietate, ea quæ tangibile, differunt. Quo circa nec albor, nec nigror, nec dulcedo, nec amaritudo, nec item cæterarum quidquam contrarietatum elementum facit.* Et postea: *sunt autem tangibiles contrarietates hæ, calidum, frigidum, siccum, humidum.* Et denique in capite. *Cōstat igitur cæteras omnes differentias ad quatuor primas, & has non amplius in pauciores, reduci; neque enim calidum, id, est, quod humidum, aut quod siccum est; neque humidum quod calidum aut quod frigidum est; neque frigidum & siccum subalterna sunt, neque sub calido & humido struuntur. Quare quatuor esse has necesse est.*

5. Constat etiam ratione, ex hac auctoritate desumpta: hæ quatuor primæ qualitates non supponunt alias in subiecto; imò reliquæ qualitates, quæ propriè habent contrarium, ex his resultant, & procedunt: ergo sunt primæ. Antecedens, quoad primam partem, probatur: quia productio caloris, v.g. non expectat productionem alterius qualitatis, nam cum agens calidum applicatur passo, statim agit secundum calorem, & passum patitur recipiendo talem calorem: ergo calor, ex se, non præsupponit aliam alteratiuam qualitatē. Quoad secundam partem probatur idē antecedens: nam facta transmutatione in primis qualitatibus, experimur fieri etiam consequenter in raritate, densitate, grauitate, leuitate, in coloribus, & regulariter in omnibus qualitatibus tangibilibus, quæ appellantur alterativæ,

tiuæ, & plerumque habent cõtrarium: ergo huiusmodi qualitates ex se supponunt primas; aliàs ex transmutatione primarum qualitatum non fieret in ipsis transmutatio, nec ex diuersitate primarũ colligeretur diuersitas secundarum qualitatum.

6. Ex his colliges; prædictas qualitates non esse in aliquo genere primas, prioritate perfectionis, quia in quacumque prioritate perfectionis vnum tãtum est primum & maxime tale, quod est mensura cæterorum; sed prioritas harum qualitatum, vel est in ordine causalitatis, vt in genere causæ materialis, in qua solum est verum dicere primas qualitates esse dispositiones secundarum; vel in genere causæ effectiuæ, vt si, dicamus secundas qualitates ex primis dimanare & resultare: ergo secũdum has acceptiones non est inconueniens, quod plura dicantur prima, quando inter se non habent ordinem, & dependentiam; vt accidit in præsenti: nam nec calor presupponit ex se humilitatem nec è cõtra.

7. Obijcies raritas & densitas sunt qualitates alteratiuæ, & contrariæ; & tamen ex se non præsupponunt aliquam, ex primis his qualitatibus; vt constat in cœlis, qui in se non possunt recipere calorem, aut aliam primam qualitatem, & tamen, secundum aliquas partes, recipiunt densitatem, & secundum alias raritatem; nam (vt communiter docet Astrologia) stellæ maiorem densitatem habẽt reliquis partibus cœli: ergo qualitates primæ non sunt tantum quatuor.

Respondetur negando maiorem, loquendo de raritate, & densitate, quæ in cœlis reperitur: nam raritas, & densitas in cœlis repertæ, non sunt qualitates alterabiles, sed proprietates omnino stabiles; & licet hæ non præsupponãt formaliter primas qualitates, tamen illas præsupponunt virtualiter; quia præsupponunt virtutem productiuam primarum qualitatum in his inferioribus.

Nec mirum est, quod aliquando accidentia eiusdem speciei dimanent a principijs essentialiter diuersis, si illorum continentia est specie diuersa; vt videre licet in potentia visiua, quæ dimanat in homine ab anima rationali, & in Leone ab anima sensitiua; etiam si hæ specie differant; quia rationalis, eminenter formaliter est sensitiua.

QVÆSTIO III.

Qualiter prima qualitates se habeant in elementis?

§. I.

In dubitata suppono.

1. VT certum supponitur primo, (contra Alexandrũ citatum à recentioribus in hoc loco) quatuor primas qualitates nõ esse

esse formas substantiales elementorum: primò quia formæ substãtiales non suscipiunt magis & minus vt dixi in 2.p. Logicæ, disput. 7.q.1.§.1.n.1. sed quatuor primæ qualitates (vt ex se constat) suscipiunt magis & minus: ergo non sunt formæ substantiales elementorum.

2. Secundò; nam implicat, quod forma, quę tribuit primo subiecto esse simpliciter, & substãtiale, tribuat alteri esse secundum quid, seu accidentale; sed quatuor primæ qualitates quam plurimis substantijs tribuunt esse secundum quid & accidentale: ergo non possunt tribuere materiæ primæ elementorum esse simpliciter & substantiale.

3. Tertio: implicat, quod eadẽ res exerceat munera actus primi, & secundi; sed quatuor primæ qualitates in omnib⁹ mixtis exercent munus actus secundi, cum sint formæ accidentales illorum: ergo in elementis nõ valent exercere munus actus primi, seu substantialis: ni dicas has primas qualitates adunare (per viam identitatis) differentias entis *per se* & *in alio*.

4. Supponitur secundo: quatuor primas qualitates inueniri in mixtis refractas, & ab debitum tẽperamentum redactas: nam ex eo mixtum dicitur tale, quia ex natura sua exigit permixtionem secundum primas qualitates, quæ appellantur virtutes elementorum; sed ad huiusmodi permixtionem requiruntur primæ qualitates ad debitum temperamentum redactæ: ergo in mixtis quatuor primę qualitates sunt refractæ & ad debitũ temperamentum redactæ.

§. II.

Resolutio quæstionis.

5. ELementa non exigunt ex se quatuor primas qualitates, sed duas; vnam in summo, & aliam prope summum: nam *ignis* ex se, seu ex natura sua, est calidus in summo, & siccus prope summũ: & *aër* humidus in summo, & calidus prope summum: & *aqua* frigida in summo, & humida prope sũmum: & tandem *terra* est sicca in summo, & frigida prope summum.

Hæc nostra conclusio adducitur ab Aristotele in præsenti, cap. 3. his verbis: *atque ignis & terra extrema quidem sunt: aqua vero & aër media & mixta magis, & vtraque etiã vtriusq; contraria sunt: nam igni aqua, aëri vero terra aduersatur: hæ enim contrarijs effectibus constat. Verum enim verò cũ simpliciter quatuor sint, quodque vnius est, terra siquidem sicci potius est quam frigidi, aqua vero frigidi magis quam humidi, aër humidi magis quam calidi, ignis calidi magis quam sicci*: ergo ex mente Philosophi elementa duas tantum possident qualitates.

6. Ratione probatur conclusio: elementa (iuxta omnium placita) distinguuntur à mixtis, in participatione primarũ qualitatum; sed

sed mixta exigunt omnes primas qualitates permixtas, & ad debitũ temperamentũ redactas: ergo elementa ex natura sua non exigunt omnes has primas qualitates.

7. Secundo probatur: elementa, ad distinctionem mixtorũ, exposcunt simplicitatem; sed non in substantia, vt ex se constat: ergo in qualitatibus: ergo elementa non exigunt permixtionem primarum qualitatum.

8 Ex his non sequitur, quod vnũ elementũ debeat participare vnicam tantum qualitatem; quia licet elementa sint corpora valdè imperfecta, habent tamen ex natura sua quasi duplicem appetitum; videlicet producendi sibi simile, & conseruandi proprium esse; & ideo cuilibet debentur duæ qualitates; altera, quæ permodum potentię & virtutis actiuæ complent primum appetitum; & alia, quę per modum potentiæ passiuæ resistat, & compleat secundum.

9. Dices si ex duabus his qualitatibus vna conuenit ex natura rei elemento propesummum: ergo elemẽta participant cum permixtione primas qualitates: nam quotiescumque qualitas aliqua refracta, & aliquantulum remissę, reperitur in subiecto, necessum est quod opposita qualitas actu & subiectũ; ne potentia, seu capacitas talis subiecti remaneat vacua. ¶ Respondetur negando sequelam; nam multoties qualitas determinatur propter potẽtiam subiecti, quamuis nullum contrarium in tali recipiatur subiecto; in quo sensu possumus dicere, ignem esse siccum propesummum; quia siuitas determinatur ratione subiecti, quod ex natura rei non potest actuari per siccitatem, secundum intensionem naturaliter in alio subiecto possibilem, quamuis actuetur per illam in maxima intensione, quam in igne valet habere.

10. Etsi inquiras quare huiusmodi qualitates, secundum dispositionem in conclusione asignatã, participentur ab elementis? Non facile tibi respõdetur nam elemẽta valde permixta experimur; & ideo qualitates omnino cõtrarias non semel in elemẽtis vidimus. Verum tamẽ quia ignis est perfectior alijs elementis, ideo ei tribuimus perfectiores qualitates videlicet calorem in summo, ad operãdum; & siccitatem prope summum ad resistendum: & similiter quia aër est imperfectior igne, reliquis tamen perfectior, ideo ei concedimus calorem prope summum ad resistendum, & humiditatem in summo ad operandum. Et idem proportionaliter dicẽdum est de alijs inferioribus elementis quæ virtutem actiuam minus perfectam exigunt participare.

§. III.

Argumenta quæ conclusioni obstant.

11. ARgues primo: terra maxime distat à Sole, & igne: ergo hęc est maxime frigida, propter

ter distantiam maximam à primo calido : ergo frigiditas in summo non aquæ sed terræ conuenit.

¶ Respondetur concedendo antecedens, & negando vtranque consequentiam : nam in præsenti non loquimur de qualitatibus, quę elemētis ad extrinseco aduenīūr; sed de his, quas ab intrinseco, & ex natura sua habent; & ab intrinseco certum est, quod terra sicca & non frigida est in summo : quare terra in sacro eloquio arida & non frigida appellatur.

12. Argues secundo : si aqua esset in summo frigida, animalia non habitarent in ea; cum vita in humido & calido consistat, & nimia frigiditate corrumpantur viuentia; sed contrarium docet experiētia : ergo aqua ex natura sua nō est in summo frigida. ¶ Respondetur negando sequelam; nam aqua & terra sunt elementa valde permixta, in quantum Sol, & reliquæ virtutes cœlestes, eleuant, & quasi attrahunt à terra exhalationes, quæ in aqua & aere receptæ, qualitates horum elementorum temperant, atque remittūt, vt sint elementa aptissima ad animalium vitam.

13. Argues tertio: aer ex se exiccat terram madidam, linteamina, & alia humida, quæ sparsa aēri proponuntur: ergo ex natura sua non videtur humidus in summo, sed siccus, & aridus. ¶ Respondetur negando antecedens; nam aer non exiccat madidum, quia ex se siccus sit, sed quia plenus est terreis exhalationibus, quæ virtute solis applicantur humido, vt mædia actiuitate sua contrariā inducat siccitatē.

DIS-

DISPVTATIO SECVNDA DE MIXTIONIBVS.

PERACTA iam explicatione elementorum, & primārum qualitatum, quæ ipsa exornāt, velut passiones à propria essentia procedentes, recto ordine est disputandum dè mixtionibus, mutua elementorum alteratione causatis; prius namquè est agendum de causa præcedente, quam de effectu subsecuto.

QVÆSTIO I.

In quo distinguatur mixtio à mixti generatione?

§. I.

Mixtio propria à mixtionibus segregatur improprijs.

1. APud omnes est certum, (cum Philosopho in hoc libro, cap. 2.) mixtionem multipliciter vsurpari: primò accipitur pro adunatione diuersorum in eodem loco; vt frumenta in eodem loco permixta, nomine mixtionis nuncupantur, etiam si in tali casu non detur alius motus præter localem.

Secundo sumitur mixtio pro adunatione diuersorum in eodem loco, media aliqua alteratione; qua ratione formatio ex diuersis simplicibus vnitis, in eodem loco alteratis, oppositis qualitatibus, & denique ad debitum temperamentum redactis, non est proprie mixtio; quia simplicia medicamēta non amittunt proprias formas. Ad hāc impropriam acceptionem possumus reducere metallorum mixtionem, quæ licet inter se maximè vnita videantur, tamen non ammittunt proprias formas, atque adeò in igne inuicem separātur.

Tertio accipitur mixtio pro cōtinuatione eorum, quæ sunt eiusdem rationis vt cum partes eiusdē speciei inter se quasi permiscentur secundum locum, ita vt nō valeamus distinguere locum partiū aduenientium, à loco præcedētium; & iuxta hanc acceptionem, aquæ cùm continuantur, dicuntur misceri, latè & impropriè.

Quartò sumitur mixtio pro pluribus agentibus, ad pugnam diuersis

uersis, & oppositis qualitatibus adunatis, ita vt qualitates mutua actione, & repassione, ad debitum temperamẽtum redactæ, sint dispositiones ad tertiam formã, cui qualitates contrariæ in gradibus remissis, seu in debito temperamento, debentur.

Hoc genus mixtionis, quod proprium est, & de quo in præsenti est sermo, non datur nisi quãdo, præter intentionem agẽtis, tertia forma producitur in materia vtriusque elementi: sit exemplum cum aqua & terra ad pugnam oppositis qualitatibus coniunguntur, mutuo inter se agunt, & patiuntur, vt simul cum calore Solis reducãtur ad debitum temperamẽtum qualitatis oppositæ, quibus (præter intentionem agentium) consequitur forma lapidis. v. g. in hac acceptione Aristoteles definit mixtum dicens. *Mixtio est miscibilium alteratorum unio.*

§. II.

Requisita ad propriam mixtionem.

2. CVm omnibus suppono primò, plura esse ad mixtionẽ necessaria: nam primò requiritur debita conuenientia miscibilium secundum locum. Secundo alteratio mutua qualitatũ, media actione, & repassione. Tertio generatio mixti, essentialiter à miscibilibus distincti. Quartò generatio mixti, præter intentionem miscibilium. Quintò vnio miscibilium in mixto: nam materia miscibiliũ, quæ in pugna solũ erant contigua, permixtionem vniuntur, sub forma mixti.

3. Suppono secundò, mixtionẽ non dari nisi inter miscibilia, quæ valeant inter se mutuò agere, & pati, nã si plura adunentur ad pugnam, & aliquid illorum non repatiatur, nõ dicitur miscibile; & ratio est; nam in mixtione, miscibilia corrũpuntur ad mixti generationem; tum propter dicta: tum quia agentia superiora, ex se incorruptibilia, non dicuntur miscibilia; sed agens, quod non repatitur, non corrumpitur: quia semper cõseruat formam & dispositionẽ sibi debitam: ergo agens, quod nõ repatitur, non dicitur miscibile.

4. Suppono tertio, mixtionem non dari per hoc, quod miscibilia vniant materias, producendo in illis similitudinem specificam alicuius miscibilis: nam tunc nõ datur mixtio, sed generatio: & ratio est, quia in mixtione miscibilia debent specificè corrumpi, vt tertia species mixti resultet: nam si elementa coniungantur ad pugnã, & ignis præualeat, producendo sibi simile, in materijs aliorum elemẽtorum, talis productio nõ dicitur propriè, mixtio, sed generatio; quia in mixtione (vt non semel dictum est) contraria agentia absolutè non manent, sed corrumpuntur, vt præter intentionem illorum producatur tertiũ, videlicet mixtum, in quo elementa secundum mate-

materiam, & secundum qualitates, cuicumque proprias, vniátur: quia mixtum continet qualitates, seu virtutes elementorum ad debitum temperamentum redactas atque adeo iuxta intensionem, vel remissionem qualitatum, dicimus elementum dominari in mixto: nã cum excedit calor, dominatur ignis; & cum siccitas, terra; cum frigiditas, aqua; & cum humiditas, aer: vt constat in homine, in quo cholera excedit qui igneus dicitur; & cum excedit melancholia, terreus; & cum flegma, aqueus; & cum sanguis, aereus.

§. III.

Conclusio.

5. MIxtio distinguitur ab absoluta generatione mixti, in quantum includit mixcibilium alteratorum vnionem, secundum materiam. Probatur; quia cum animal producit sibi simile, mixtum producitur; sed non per mixtionem, quia non datur ibi vnio plurium alteratorum, per mutuam actionem, & repassionẽ: ergo mixtio formaliter, & absolutè distinguitur à productione, & generatione mixti.

6. Probatur secundò: dum mixtum corrumpitur, non intelligitur resolutio mixtioni opposita, donec intelligamus materiam mixti diuidi in diuersa elementa, & miscibilia: ergo è conuerso mixtio nõ intelligitur, vsque dum intelligamus materiam miscibilium vniri, sub actuatione eiusdem formæ.

Vbi est aduertendum, quod sicut ad resolutionem non sufficit quæcumque diuisio materiæ, sed est necessaria diuisio per diuersas & oppositas formas; ita ad mixtionem non sufficit quæcumque vnio, sed requiritur vnio materiarum, quæ erant sub oppositis & diuersis formis; quatenus huiusmodi materiæ informantur media aliqua forma, quæ præter intentionem particularium agentium producitur.

§. IV.

Interrogatio appendix.

7. INquires, pro huius quæstionis adæquata intelligentia; an elementa concurrant efficienter ad productionem mixti; vel dumtaxat materialiter, quatenus in materijs miscibilium mixtum generatur.

Respondeo primo: elementa nõ concurrere efficienter principaliter ad productionem mixti. Ratio est; nam elementa sunt imperfectiora mixto; cum mixtum specificè sit elementis perfectius: ergo elementa efficienter principaliter non concurrunt ad illius productionem: vtique quia causa efficiens principalis formaliter, vel virtualiter, debet continere effectum ab ea causatum. Ex quo colliges, mixtum præter intentionem miscibilium, seu elementorũ, causari

sari principaliter efficiēter ab aliqua causa superiori, in quantum materia elementorum, sub dispositionibus seu qualitatibus refractis, exigit tertiam formam mixti constitutiuam.

8. Aliqui Thomistæ respondēt secundò, (iuxta opinionem quæ asserit fieri resolutionem vsque ad materiam primam) elementa nec efficienter instrumentaliter concurrere ad mixti generationem, sed solum materialiter, in quantū præstant mixto materiam propriam: & probant ex eo, quod dispositiones antecedentes, quæ in elementis disponunt materiam, ad mixti generationem, non sunt in generationis instanti: ergo hæ non valent illud causare efficienter instrumētaliter, sed solum materialiter, in quantum materiam sigillant, & determinant, ad mixti formam; quia causa, quæ non intelligitur pro instanti productionis, non valet influere efficienter in effectum productum.

9. Sed contra est; nam agens, quod determinat materiam, efficientes attingit terminum, ad quem disponit; quia illius est producere, cuius est disponere; sed elementa disponunt materiam ad formam mixti: ergo efficienter attingunt mixti formam.

10. Ad hoc respondent hi Thomistæ, maiorem tantum esse verā, cum introducitur in materia disposita forma, quam per se intendit agens quod disponit; non vero cum forma introducitur præter intentionem agentis, quod disponit; vt accidit in præsenti. Sed cōtra est: ergo repugnantia non dimanat ex eo quod elementorum qualitates, quæ disponunt ad formam mixti, non intelligantur in instanti productionis, sed ex eo quod non producitur forma intēta: ergo vel ratio, vel solutio, non conuincit.

11. Quare dicendum est, elementa, nedum materialiter, sed instrumentaliter efficienter concurrere ad mixti productionem. Ratio est; nam dispositiones, quæ determinant materiam ad formam mixti, sunt actiuæ, & valent, in virtute causæ superioris, extrahere illam, ex potentia materiæ dispositæ: ergo hæ illam instrumentaliter causant.

12. Nec valet dicere; has dispositiones non intelligi in instanti productionis. Non (inquam) valet; nam inter causam & effectum sufficit eiusdem temporis coexistentia, (vt solutio Thomistarum supra n. 7. allata admittit) inter agens & formam per se intentam.

QVÆSTIO. II.

Vtrum elementa formaliter, vel virtualiter solum, maneant in mixto?

§. I.

Aperitur titulus.

1. EX dictis, quæstione præcedenti, constat elemēta materia-

terialiter esse in mixto, in quantum materiæ, quæ erant sub formis elementorum, transeunt ad formam mixti de nouo producti; quod ergo nunc inquirimus est, an elementa secundum proprias species, & formas substantiales, maneant formaliter, vel virtualiter solum, in mixto producto.

Sed, vt cum distinctione procedamus, nota tripliciter aliquam rem posse in alia contineri; virtualiter primo, in quantum continetur eminenter; ad eum modum, quo effectus continetur in causa superiori æquiuoca. Secundo in quantum continetur, vt in instrumento; ad eum modũ quo substantia continetur in virtute ministeriali; nam substantia aliqualiter continetur virtualiter in instrumentali virtute, quæ est illius virtus. Tertio in quantum continetur in aliqua dispositione, quæ vt intensa, vel vt remissa, deseruit, seu disponit, ad introductionem alterius formæ; quia dispositiones iudicantur vt semina & virtutes, quę sigillant materiam ad receptionẽ nouæ formæ; & secundum hanc rationem tales formæ dicuntur esse in alijs virtualiter.

§. II.

Referuntur placita.

2. HIs prælibatis, primum placitum defendit, elementa nec formaliter, nec virtualiter, permanere in mixto. Pro illo stãt Gregorius. in. 1. dist. 17. q. 3. a. 2. Heruęus. tract. de vnitate formarum. q. 15: quibus fauere videtur Soncinas. 10. Metap. q. 22.

3. Secundum placitum, quod asserit elementa formaliter permanere in mixto, non vno ore à Doctoribus, illud patrocinãtibus, explicatur. Nam Auicenna. 1. sufficientiarum. cap. 10. & 11: & Hypocrates. lib. de natura humana: Vega de arte medendi. lib. 2. cap. 1: & alij medici, regulariter affirmant elementa manere in mixto, secundum proprias substantias, & essentias, integra; sed secundum dispositiones seu qualitates primas, manere refracta, & ad debitam intensionem redacta. Auerroes vero, licet de cœlo, commento. 63. conueniat cum Auicenna, quoad secundam partem; differt tamẽ ab illo, quoad primam; quia existimat, formas substãtiales elementorum manere in mixto refractas & remissas.

4. Tertium & vltimum placitum docet, elementa formaliter non permanere in mixto, sed virtualiter tantum, in quantum qualitates elementorum permanent in mixto, non in summo; sed ad debitum mixti temperamentum, seu ad debitam mixti intensionem redactæ. Illud patrocinantur Diuus Thomas. 1. p. q. 76. a. 4: Scotus. in. 2. dist. 15: Capreolus. & Gabriel. ibidem: Ferrara 2. contra Gentes. cap. 56. & fere omnes recentiores in præsenti; in obsequiam huius sit.

§. III.

§. III.

Conclusio.

5. ELemẽta permanẽt in mixto, non formaliter, sed virtualiter tantum, in quantum qualitates primæ elementorum manent in illo refractæ. Prima pars probatur primo, ex Philosopho lib. 2. de partibus animalium, in exordio; vbi defendit, compositionem mixti ex elementis, potius esse ex virtutibus elementorum, videlicet ex calore, frigiditate, siccitate, & humiditate, quæ reperiũtur in mixto. Et in præsenti. cap. 10. asserit, elementa quodammodo manere, & quodammodo non manere in mixto, quia manent in potentia: ergo, iuxta Philosophi mentem, elementa non transeunt ad mixtum formaliter, sed vel tantum in potentia, in quantum elementorum materiæ permanẽt sub forma mixti; vel tantum virtualiter, in quantum primæ qualitates manent secundum speciem, licet quoad intensionem maneãt remissæ seu refractæ.

6. Ratione probatur eadem pars: forma mixti, cum substantialis sit, debet recipi in aliqua materia; sed non datur alia nisi ea, quæ erat sub formis elementorum: ergo in hac, post mixti productionẽ, non manent formaliter substãtiales formæ elementorum; ni dicas, (contra communem consensum) pluras formas substantiales recipi naturaliter in eadem materia.

7. Tertio probatur, ratione desumpta ex definitione mixti; *nam mixtio est, miscibilium alterationum vnio*; sed hęc est impossibilis, si formæ substantiales elementorum in mixto permanent formaliter: ergo in illo non inuenuntur formaliter. Minor (in qua est difficultas) probatur; nam ea, quæ à parte rei sunt distincta, & separata, non valent vniri nisi compositionis, seu continuationis titulo; sed formaliter permanentibus formis substãtialibus elementorum, elementa nullo ex his modis possunt vniri in mixto; tũ quia nõ se habent in mixto vt actus & potentia, vt vniantur titulo compositionis; tũ quia non sunt eiusdem rationis, vt vniantur titulo continuationis: ergo nullo modo valent vniri in mixto elementa, supposita formarũ substantialium permanentia.

8. Respondebis: elementa vniri in mixto, vel vnitate subiecti, vel vnitate compositionis, quasi integralis, quæ valet dari inter ea, quæ sunt diuersę rationis; vt videri potest in partibus æterogeneis, quæ ad integrãt totum æterogeneum, etiam si diuersæ sint rationis.

Sed contra est primo, quia vel formæ elementorum sunt in eodẽ prorsus subiecto, vel in diuersis partib. subiecti, ad integrãtes mixtum, sicut partes æterogeneæ totum æterogeneum ad integrant; neutrum dici potest: ergo si elemẽta seruant in mixto formas substãtiales, nullo modo valẽt in eo vniri.

ri. Minor, quoad primam partem; probatur; nam plures formæ substantiales, (vt dixi) nõ possunt naturaliter recipi in eodem subiecto: ergo prima pars minoris est impossibilis. Quoad secundã partem probatur eadem minor; nam plures formæ substantiales, in diuersis partibus subiecti receptæ, non valent adintegrare vnum per se, sed peraccidens; quia omnis forma substantialis in materia recepta constituit vnum ens completũ: ergo secunda pars minoris etiam est impossibilis.

Nec instantia allata aliquid valet; nam partes æterogeneæ sunt accidentaliter diuersæ rationis, & essentialiter sunt in completæ, & eiusdem rationis, vt constituant vnum ens per se; quare vel dicendum erit, quodlibet mixtum esse vnum ens peraccidens, & sola elementa essentia per se; vel nullum elementum contineri formaliter in mixto.

9. Contra est secundo: nam vel mixtum coalescit essentialiter ex elementis, ita vt nullam aliam formam includat, præter illas, quæ sunt in elemẽtis; vel datur in mixto alia forma, quæ actuet elementorum formas: neutrum est possibile: ergo formæ elementorum nõ sunt formaliter in mixto. Minor, quoad secũdam partem, probatur ex supra dictis; & ex eo, quod sequeretur omnia mixta esse eiusdẽ rationis; nam ab vnitate constitutorum, ad constituti vnitatem, legitima est consequentia. Quoad secundam partem probatur; tum quia forma vltima complens mixtum adueniret enti in actu cõpleto, & perfecto; quod enti per se repugnat: tum quia talis forma actuaret subiecta distincta, & separata; cum elementa (vt supra diximus) non valent inter se vniri: ergo nullo modo valent elemẽta esse formaliter in mixto.

10. Nec audiri potest Auerroes, qui asserit formas substantiales elementorum manere in mixto, in gradu remisso. Non (inquam) est audiendus: tum quia (vt diximus) in Metaphisica formæ substantiales, non suscipiunt magis & minus: tum quia iam forma mixti constitutiua adueniret enti essentialiter completo, nam nec intensio, nec remissio entitatis aufert complementum simpliciter dictum.

11. Secunda pars nostræ assertionis, videlicet quod elemẽta virtualiter transeant ad mixum denuo productum, probatur: nã experiẽtia docet primas qualitates, seu virtutes elementorum, in mixto esse, & tanquam dispositiones determinantes materiam elementorum, ad formam mixti, & tanquã proprietates mixti formã cõseruantes: ergo elementa, ratione harum qualitatum, sunt virtualiter in mixto.

Nec datur aliqua repugnantia in hoc, quod eadem qualitas, secũdum speciem, à pluribus & diuersis essentijs exigatur; quia licet in esse rei sit eadem, tamen in esse proprietatis, & dispositionis, est forma-

maliter diuersa, quatenus secundum diuersam intensionem diuersæ correspondet essentiæ.

§. IV.

Primæ sententiæ fundamentum.

12. EX dictis in discursu quæstionis constant, fundamēta, quæ primam huius sententiæ partem patrocinantur: quare solum restat fundamentum secundæ partis, quod sic se habet. Iuxta dicta in 1. lib. disp. 1. q. 3. §. 3. per totum proprietates, & passiones, corrumpuntur ad corruptionē essentiæ, & subiecti; sed quatuor primæ qualitates sunt proprietates elementorum: ergo hæ non sunt in mixto ex elementis producto; nam diuersæ essentiæ diuersas exigunt proprietates.

Ex dictis etiam constat solutio: tum quia quatuor primæ qualitates, non in summo, sed refractæ, & remissæ, sunt passiones mixti: tum quia licet detur repugnantia in hoc quod vnum & idem numero accidens detur in diuersis subiectis, tamen non datur in hoc, quod idem secundum speciem, & distinctum secundum hæcceitatē, in diuersis maneat substantijs; præcipuè si non est in illis secundum eādem intensionem, seu rationem formalem.

§. V.

Secundæ sententiæ fundamenta.

13. Primum secunda sententiæ sumitur ab Auicena, ex Arist. 1. de cœlo, text. 12. vbi asserit, mixta moueri sursum vel deorsum, ab elemento prædominante: & etiā ex 3. de cœlo, text. 66. vbi affirmat, (contra Platonem) elementa secundum se nullam exigere figurā, vt in mixto facilius possint accōmodari: ergo iuxta doctrinā Philosophi elementa formaliter manent in mixto.

Ad primam auctoritatem constat ex supradictis: & ideo ad secundam dico, Philosophum non asserere elementa manere in mixto, secundum proprias substantias, sed solum secundum qualitates, quæ vt refractæ, ex mutua actione & repassione, accommodātur in mixto genito.

14. Secundum fundamentum etiam accipitur ex Philosopho, 5. Metap. text. 4. vbi definiens elementum sic fatur: *elementum est illud, ex quo in existente res fit*: sed mixtum fit elementis: ergo ex elementis in illo existentibus. Ad hanc auctoritatem respondetur, definitionem elementi ab Aristotele traditam præcipuè conuenire primis principijs rei naturalis, videlicet materię, & formęnam (vt ibidem docet Aristoteles) elemētis vulgatis, scilicet igni & aëri, impropriè tantum talis conuenit definitio, quatenus ex illis manētibus, secundum materiam, & secundum qualitates, fiunt mixta: & ratio huius impropriæ acceptionis desumitur ex eo, quod hoc nomen *elementum* vulgo est adap-

ſatum quatuor elementis, propter antiquorum placita, exiſtimantium huiuſmodi quatuor elementa eſſe prima principia entis naturalis.

15. Etſi dicas, cum Ariſtotele, quod ſicut littere manent formaliter, & ſecundum omnem entitatem ſuam, in ſyllaba, ſic elementa manere in mixto; quia vt ipſe Philoſophus ibidem docet, *litteræ appellantur elementa dictionum.* Contra eſt: nam hoc exemplum non explicat eſſentiam elementi impropriè ſumpti, de quo in præſenti; ſed elementi proprie ſumpti, de quo in 1. Phyſic. nam ſicut litteræ tranſeunt formaliter ad ſyllabam, ſic materia & forma rranſeunt formaliter ad ens naturale.

16. Tertium fundamentum à ratione ſic ſe habet: corpus corruptibile diuiditur in corpus ſimplex, ſeu elementale, & in corpus cõpoſitum, ſeu mixtum ergo corpus mixtum eſt ex elemẽtis compoſitum: atqui partes conſtituentes formaliter ſunt in toto conſtituto, vt videre licet in materia & forma, quæ formaliter ſunt in ente naturali: ergo elementa formaliter ſunt in mixtis.

Reſpondetur corpus diuiſum in corpus ſimplex, & compoſitum, eſſe cõpoſitum ex materia & forma ſubſtantiali, etiam ſi cõtrahatur per corpus elementale, quod vulgariter & relatiuè dicitur ſimplex, in quantum, ex quatuor qualitatibus in corporibus mixtis repertis, ſolum exigit duas, & ideo elemẽtum dicitur corpus ſimplex, non abſolutè ſed ſecundum quid, hoc eſt, comparatiuè ad corpus mixtum, quod duplicatas exigit qualitates.

17. Quartum fundamentum ſic procedit: omne compoſitum reſoluitur in ea, ex quibus formaliter coaleſcit; ſed mixtum reſoluitur in elementa; nam lignum viride igni applicatum reſoluitur in aquam, fumum, ignem, & cineres: ergo reſoluitur in quatuor elemẽta; cum fumus eſſentialiter ſit aër, vel ſit aliquid aëri proximum: ergo quatuor elementa formaliter ſunt in mixto.

Reſpondetur diſtinguendo maiorem; compoſitum reſoluitur in ea, ex quibus formaliter coaleſcit, quãdo reſoluitur in partes, ex quibus componitur, concedo maiorem; quando reſoluitur in alia compoſita, ex ipſo corpore genita, nego maiorem; & conceſſa minori, & prima cõſequentia, de hac ſecunda reſolutione, nego ſecundam; nam reſolutio dupliciter accidit; primò ex partium diuiſione; & tunc verum eſt, quod vnũ quodque reſoluitur in partes ex quibus componitur: ſecundò fit reſolutio incompoſita, ex ipſo compoſita, (tanquam ex termino à quo) producta; & tunc non reſoluitur in partes, ex quibus conſtat, ſed in alia compoſita denuo producta; cum prædictæ partes deſinant eſſe poſitiuè, vt ex materia negatiuè accepta, & realiter diuiſa, alia generentur compoſita; & in hac vltima

tima acceptione dicimus, corpus mixtum resolui in elementa.

18. Quintum fundamentum huius sententiæ, quod est vnicum Aberroes, accipitur ex Aristotele, in hoc libro; vbi ait, *quod quelibet pars mixti est mixta*: sed (iuxta sententiam Auicennæ) hoc est impossibile; nam si elementa perfectè manent in mixto, & formæ nõ remittuntur, distinctę formæ elemẽtorũ in distinctis partibus materiæ reciperentur; & consequenter pars quę haberet formã ignis. v. g. non esset mixta; quia secum nõ admitteret formã alterius elemẽti: ergo dicendum est, formas substãtiales elementorũ manere refractas, & remissas, in quacumq, parte mixti; quia sicut oppositę qualitates, perfectè intensæ, non valent recipi in eodem subiecto: ita formæ substantiales elemẽtorum, perfectè intensæ, non possunt recipi in eadem parte materiæ.

Ad hoc fundamentum patet ex dictis, §. 3. quia elementa secundum suas formas substantiales nõ suscipiunt magis & minus; quare (teste Aristotele cap. de substantia) vnus ignis non est magis ignis quam alius.

COM-

COMMENTARIA IN LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA.

PARS TERTIA.

VLtima Philosophiæ pars totam animam inspirat in faciem; nedum vt resurgat homo in animam viuentem, sed vt vltimi nostri laboris spiritum compleam; nam licet tractatus de anima animalium subiectiua Philosophiæ pars recte iudicetur, cæterum quia omnia, quæ essentiæ animalium conuenire possunt, (quatenus animalia à reliquis entibus naturalibus formaliter separantur) in hoc animæ volumine solent à Doctoribus explicari, ideo tractatum de anima animalium libenter omittimus. Tractatus de anima in tres libros diuiditur. In primo, (qui locum prooemij habet) proponit Aristoteles vtilitatem, dignitatem, ordinem, & modum procedendi huius scientiæ. In secundo animam in communi definit, & de illa in particulari, quatenus vegetatiua, & sensitiua est, passiones demonstrat. Et denique in tertio potentias animæ intrinsecas declarat.

LIBER PRIMVS ET SECVDVS DE ANIMA.

PRimi & secundi libri explicationem aggredimur; quia omnia quæ circa primum librum dixit Philosophus constabunt ex dicendis circa secundum; in quo (relictis antiquorum placitis) essentiam animæ in communi verissima explicat definitione.

DIS-

PRIMA DE QVIDDITATE ANIMAE IN COMMVNI.

NON est in animo longissimis scriptis molestos esse: leuiores quæstiones ommittamus, vt apud iuniores videantur, qui litteram Aristotelis, eiusque expositionem adducunt: nos vero (more solito) doctrinam eius, disputationibus, & quæstionibus vtilioribus diuidendo, aggredimur.

QVÆSTIO I.

An prima Animæ definitio ab Aristotele tradita sit exacta?

§. I.

Veriora suppono.

1. IN hoc certamine non dubito, an sit anima, cum nulla; de hoc sit apud recentiores cõtrouersia: illius existentiam suppono, quamuis in illius explicatione antiqui valde deliruerint: nam aliqui dicebant, esse ignẽ; alij aquã; alij aliquid complexum ex pluribus naturis; alij aliquid cõflatum ex quatuor elementis, alij temperiem quatuor humorũ; & alij denique diuinæ mentis partem. De his omnibus disputat Philosophus in 1. lib. illorum deliria reijcit, hãc-

que definitionem traddit cap. 1. lib. 2. *Anima est actus primus corporis physici, organici potentia vitam habentis.* Et licet omnes hanc admittant definitionem, non tamen vno explicant ore, & ideo singulis, §. sunt illius particulæ explicandæ.

§. II.

Primæ particulæ, scilicet, quid sit actus primus explicantur.

2. PRo intelligẽtia harum notarum, actum diuidit à Philosopho, in præsentem, in primum, & secundum; nunc sit in genere effectiuo, nunc in formali. Per actũ primum in genere effectiuo intelligit principium, siue radicale, siue formale operationis: & per actum secundum ipsam operationem. Similiter per actum primum in ge-

nere formali intelligit formam, aliam non præsupponẽtem; & per actum secundum, aliam perfectiorem præsupponentem.

3. Rursus nota, quod dupliciter forma valet dici actus primus; scilicet absolute & comparatiue; absolutè dicitur actus primus forma, quæ nullum alium actum vel formam supponit in subiecto, quod actuat; & secundum hanc acceptionem omnis forma substantialis dicitur actus primus: comparatiuè verò dicitur actus primus forma, quæ licet præsupponat alium actum in subiecto, quod actuat, tamen relatiuè ad alium actũ posteriorem dicitur primus; vt constat in potentia & habitu, qui respectu diuersorum possunt dici primi, & secundi: nam potentia intellectiua. v.g. respectu materiæ potest dici actus secundus, & respectu intellectionis primus non aliter ac intellectus respectu animæ est actus, & respectu intellectionis potentia.

4. Denique nota, actum diuidi in assistentem & informantem: actus assistens est ille, qui solum secundum præsentiam conuingitur alteri entitati, vt sit principium operationum talis entitatis: & in hoc sensu Nauta dicitur actus assistens respectu nauis; & Angelus qui cœlum dirigit, respectu cœli dicitur actus assistens. Actus verò informans, est qui actuat & informat subiectum, vt cum illo constituat vnum, hac vel illa perfeitate.

5. His prælibatis, particulæ definitionis sic debent exponi: prima, videlicet quod sit *actus*, ponitur loco generis, quia per illã conuenit cum omni alia forma: etiam si per illam distinguatur à materia prima, quæ non est forma, nec actus, sed pura potentia; & à cõposito, quod nõ est actus, sed aliquid ex actu & potentia constitutum. Deberque intelligi prædicta particula de actu informante, vel intrinsecè constituente cõpositum, & non de assistente: tum quia sic fuit definitum in Concilio Viennensi: tum quia communi consensu est actus assistens relegatus à compositi naturalis cõstitutione.

6. Secunda particula in definitione apposita, scilicet *primus*, est ratio differentialis animæ, nã per illam distinguitur ab actu secũdo, videlicet ab operatione; & etiam ab actu primo, qui solum comparatiue est talis: nam anima absolutè & simpliciter est actus primus corporis physici.

7. Dices: anima in genere actualitatis est perfectissimus actus: ergo exercet munus actus secũdi, & non primi; vtique quia actus secundus est perfectior primo, cum primus ordinetur ad secundum, & non è contra.

Ad hoc argumentum vt respondeat Cardinalis Caietanus, notat, quod actus secũdus potest dupliciter accipi; vel in esse rei, hoc est materialiter, in qua acceptione explicat propriam entitatem; vel in esse actus, hoc est formaliter; in

qua

qua acceptione solum explicat expressionem explicitè conceptam, non verò entitatem implicitè habitam, in qua fundatur expressio. Hoc supposito dicit, actum secundum esse perfectiorem primo formaliter, & in esse actus; non verò materialiter, & in esse rei; nam in hac acceptione, actus primus est substantialis, & secundus accidētalis.

8. Sed hæc solutio, licet subtilis, impugnatur & benè, à sapientissimo Magistro Curiele: nam ille actus est perfectior, qui maiorē subiecti aufert potentialitatem; sed actus primus maiorem subiecti aufert potentialitatem: ergo actus primus est secundo perfectior. Minor probatur: materia prima est in potentia ad actum primum substantialem, & ad secundum accidētalem; sed potentia ad actum substantialem est maior, quàm potentia ad actum accidentalem: ergo anima, seu actus primus, qui aufert à materia primam & maiorē potentialitatem, est perfectior, quā actus secundus, seu forma accidētalis, quæ solum aufert secundam, & minorem potentialitatem.

9. Iterum dices: hanc potētialitatem solum esse ablatā ab anima in genere rei, non vero formaliter, & in esse actus; in qua acceptione actus secundus est anima, vel primo actu perfectior. Sed contra est, nam sicut actus secundus valet considerari in genere rei, & in genere actus; ita & primus; sed primus, non in genere potētiæ (in quo non est) sed in genere actus (in quo est) aufert à materia maiorem potentialitatem: ergo actus primus, ne dum in esse rei, sed in genere actus est secundo perfectior.

10. Etsi denique dicas, actum secundum omnem tollere potentialitatem, quam non aufert actus primus, cum maneat in potentia ad secundum. Contra est, nam actus secundus solum aufert potentialitatem secundum quid, & accidentalem; non verò substantialē, & simpliciter dictam: ergo nō ratione sui, sed ratione actus substantialis præsupposti, illam aufert: ergo ex se non aufert omnem potentialitatem: cum hoc non dimanet à propria actualitate, sed ab actualitate præsupposita.

11. Quare hac relicta solutione, vt respondeas nota, argumentum nō procedere de actu primo & secundo, qui in linea actualitatis ad maximam accedunt abstractionē; quia de his certum est quod non se excedunt perfectione: nam Deus non solum est infinitè perfectus in gradu intellectualitatis, sed etiam in ipso intellectu, & in ipsa intellectione: cum in Deo natura intellectus, & intellectio realiter sint idem; sed procedere de actibus finitis, & limitatis: in quo sensu valet actus primus, absolutè talis, dupliciter comparari; vel in ordine ad actum secundum, comparatiuè talem; vel in ordine ad actum secundum, simpliciter talem: in vtrāque ergo combinatione vt

certum suppono, actum primum absolutè talem, scilicet formam substantialem, esse perfectiorem vtroque actu secundo: & ratio est eadem; nam actus primus simpliciter talis, aufert potentialitatem simpliciter dictam; & secundus, siue comparatiuè, siue simpliciter talis, solum aufert potentialitatē secundum quid; sed actus, qui maiorem aufert potentialitatem, maiorem includit actualitatem, & perfectionem: ergo actus primus, absolutè & simpliciter est omni actu secundo perfectior.

Hoc supposito respōdetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, propter rationem dictam. Ad probationem concedo actualitatem primam ordinari ad secundam, quando sunt in eodem genere; secus vero quando sunt in diuersis, vt in præsenti contingit: nam actus primus, scilicet anima, est in genere substantiæ; & secundus, (siue secundum quid, siue simpliciter dictus) est in genere accidentis.

12. Replicabis: finis est perfectior omnibus ad illum ordinatis; sed actualitas prima ordinatur ad secundam, tāquam ad finem: ergo est prima perfectior. Hęc obiectio falso nititur fundamento, nā supponit animā ordinari ad accidens: quod falsum est, vt dixi 1. p. Logicæ disp. 1. quæst. 7. §. 4. n. 20. & in Philosophia lib. 2. disp. 4. quæs. 2. §. 11. nn. 24. Sed quia potest fieri replica de actu primo secundum quid, in ordine ad secundum simpliciter; respectu cuius etiam est falsa replica: ideo respondetur notando finem (prout ad præsens attinet) diuidi à Theologis, in *finem intentum*, & in *finem effectum*: finis intentus ex se est perfectior rebus ordinatis ad illū; at verò finis effectus regulariter est imperfectior rebus ordinatis ad ipsum: & ratio est, nam finis effectus absolutè & simpliciter non est finis, sed solum secundum quid, & cum addito. Quod potest hoc duplici exemplo explicari. Visio beata & Beatus ordinantur ad Deum clarè visum, tanquam ad finem intentum, quia Deus nec à Beato, nec à visione causatur Beata: At vero Omnipotentia Dei solum connectitur cum creaturis, tanquam cum fine secūdum quid, seu cū fine effecto, quia ab illa causantur. Per quod patet ad replicam; nam actus primus, in casu quo ordinetur ad secundum, non respicit illum vt finem intentum, sed vt finem effectum; & sic non debet excedere perfectionem actualitatis primę, ad ipsum ordinatæ.

13. Dices secundo: vltima felicitas, seu beatitudo nostra, quæ summum bonum est, ponitur à Theologis in actu secundo, & non in primo: ergo quia sentium actum secūdum esse primo perfectiorem.

¶ Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: nam beatitudo non consistit in actu secundo, quia visio actualis Dei sit perfectior intellectu informato lumine gloriæ, vel animā informa-

formata gratia consummata, sed quia per actum secundum, & non per primum, valet beatus vniri vltimo fini; vtique quia beatitudo essentialiter consistit in cõsequutione summi & vltimi finis supernaturalis, qui ab actu primo possidetur ratione actus secundi.

14. Non quiesces: Quantitas respectu qualitatum materialium habet rationem actus primi; & tamen quantitas est imperfectior qualitatibus: ergo actus secundus est perfectior primo. ¶ Respondetur distinguendo maiorem, quãtitas respectu qualitatum habet rationem actus primi, in genere materiali, concedo maiorem; in genere effectiuo, nego maiorem. Et concessa minori, nego consequentiam: nam vt actus primus sit perfectior secundo, opus est quod influat principaliter in secundum; quomodo quantitas non se habet respectu qualitatum materialium; sed solum vt dispositio, vel vt causa materialis earum. Ni forte loquaris de figura, quæ vt terminus quantitatis, ab illa improprie dimanans, est quantitate imperfectior.

15. Iterum insurges: Aristoteles in Metaphysica dixit, actum secũdum esse perfectiorem primo: ergo male asserimus, secundum esse primo imperfectiorem. ¶ Respondetur loqui de actu secundo, non secundum se, sed concretiue sumpto, prout includit ipsum operans. In quo sensu exponit ipsum D. Thr. 2. contra Gent. cap. 17.

§. III.

Qualiter debeant exponi sequentes particulæ, scilicet, corporis physici.

16. PRo harum luce nota, corpus diuidi in corpus artificiale, mathematicum, & physicũ. Artificiale est, quod non est à natura, sed ab arte; vt domus, cathedra. Mathematicum, quod constat ex trina dimensione, videlicet lõgitudine, latitudine, & profunditate: de quo actum est in prædicamento quantitatis. Et denique physicum est quod ponitur vt obiectum Philosophiæ, vel quod est principium motus & quietis.

17. Rursus corpus physicum diuiditur in corpus prædicamentale, & transcendentale. Prædicamentale est, quod constat ex materia, & forma substãtiali corporea; vel quod collocatur in recta linea prædicamentali. Transcendentale vero est, entitas partialis diffinita à corpore mathematico, & artificiali: in qua acceptione materia prima est corpus physicum; & in hac loquuntur Philosophi, dum dicunt, hominem fieri ex corpore & anima.

18. His diuisionibus stabilitis, Complutẽses cum Caietano asserunt, nomine corporis, cuius anima dicitur actus, intelligi corpus prædicamentale, scilicet materiã actuatam anima, secundum gradũ corporeitatis; nam secundum hũc gra-

gradum est in potētia ad gradum vitæ, qui est proprius animæ; vtique quia, metaphysice loquendo, prius recipitur anima in materia secundum gradum corporis, quam secundum gradum vitæ, cum iste illum informet & actuet.

19. Sed hęc expositio non potest sustineri; nam Philosophus in præsenti loquitur de anima, prout habet rationem actus physici; & etiam de corpore, prout est subiectum physicum animæ; sed materia, vt actuata gradu corporis, nō habet rationem subiecti physici, sed solum metaphysici; & gradus vitæ in ordine ad gradum corporis, nō habet rationem actus physici, sed metaphysici tantum: ergo in præsenti talis expositio est falsa. Maior est certa, & admittitur ab aduersarijs: nam tractatus animæ pertinet ad physicum; qui solum agit de actu physico. Minor (in qua est difficultas) probatur: nam actus physicus, vt talis, actuat & informat realiter subiectum, realiter distinctum; & similiter subiectum physicum realiter, & physice recipit informatiuum, à forma realiter distincta; sed nec anima secūdum gradum vitæ actuat realiter; nec cum distinctione reali, gradum corporis nec ipsa, secundum gradum corporis, recipit realiter, & cum distinctione informationem: ergo nec materia, vt actuata per gradum corporis habet rationem subiecti; nec ipsa, secundum gradum vitę, habet rationem actus physici ergo &c.

20. Quare alij, cum Ioanne à Sancto Thoma, vt explicent prædictam particulam, docent animā deffiniri per suum effectum formalem; ita vt, idem sit dicere, animā esse actum corporis, ac dicere, esse rationem formalem cōstitutiuam corporis, in esse talis; nam anima, physice loquendo, constituit corpus, sicut lux constituit lucidum; & qualitas, quale.

Etsi contra illam explicationem insurgas dicendo: corpus (de quo in pręsenti) est illud, cuius anima est actus; sed anima non est actus compositi; cum illud non informet: ergo corpus, in præsenti, non significat constitutam ab anima. ¶ Respondent distinguendo maiorem: corpus, in præsenti, est illud cuius anima est actus, constitutiuus, concedunt maiorem; informatiuus, negant maiorem, & minorem; nam licet anima non sit actus informatiuus, est tamen cōstitutiuus compositi; sicut qualitas est actus qualis constitutiuus.

21. Quare specialiter impugno hanc expositionem: anima debet definiri per rationē propriam ipsius, vt condistinctam ab alijs formis inanimatis; sed istæ, sicut illa, conueniunt in hoc, quod est constituere corpus: ergo per corporis constitutionem non debet explicari.

22. Et quamuis expositio hæc sit probabilis, nihilominus probabiliorem eligo; & dico, nomine *corporis* intelligi corpus transcendentale, scilicet materiam primā.

Hæc

Hæc expositio constat ex Philosopho in præsenti, vbi reddens rationem quare ex corpore & anima fit vnum per se, dicit, quod ex definitione constat animam esse actum, & corpus potentiam; vt ex actu & potentia fiat vnum per se, in genere substantiæ; sed ex materia prima, tanquam ex potentia, & ex anima, tanquam ex actu, fit vnum per se, in genere substantiæ: ergo corpus, in prædicta definitione, accipitur à Philosopho pro materia prima.

23. Ratione probatur: anima cum omni proprietate est actus Physicus, & realis subiecti, quod realiter actuat, & informat; sed materiam primam realiter, & phisicè actuat, & informat: ergo materia prima est corpus informatum, & explicatum, in hac definitione.

24. Sed contra nostram expositionem obijcies primo: materia prima non est corpus: ergo in definitione animæ, nomine corporis nõ intelligitur materia prima. Antecedens probatur; sicut albedo est ratio constitutiua albi, sic forma corporeitatis est ratio constitutiua corporis: sed sine albedine non potest dari album: ergo sine forma corporeitatis non potest dari corpus: ergo sola materia prima non est corpus, de quo in præsenti.

Respondetur distinguendo antecedens: materia prima non est corpus prædicamentale, concedo antecedens; transcendentale, nego antecedens, & consequentiam. Ad probationem concedo maiorem, de corpore prædicamentali; & illam nego, de transcendentali: nam licet, (vt dixi) materia prima non sit corpus de prædicamẽto substantiæ, est tamen corpus transcendentale: & ratio est, nam substantia in communi, vt abstrahit à completa & incompleta, diuiditur in corpoream, & in incorpoream; & sub membro corporeę includuntur omnes substãtiæ, quæ non sunt spirituales, siue sint completæ, siue incompletæ; in qua acceptione certum est, quod materia prima est substantia corporea.

25. Obijcies secundo: particula *corporis* superfluè ponitur in definitione animæ; ergo debet ab illa excludi. Probo antecedens: in definitione solum debet poni id quod est de essentia animę; sed corpus, sumptum pro materia prima, non est de essentia animę: ergo nec de definitione animæ.

Respondetur negando antecedens. Ad probationem concedo maiorem, & distinguo minorem: corpus non est de essentia animæ *in recto*, concedo minorem; *in obliquo*, nego minorem, & consequentiam: nam sicut terminus est de essentia relationis; sine quo nec valet esse, nec definiri; sic materia est de essentia animæ, sine qua nõ valet esse, nec definiri.

Hanc doctrinam accepi ex Diuo Thom. lib. 2. animæ, lectio. 1. vbi sic ait: *In definitione accidentis aliquid ponitur, quod sit extra essentiam*

tiam definiti, scilicet subiectum: in definitione autē formæ ponitur aliquid, quod sit extra essentiā eius, scilicet subiectū propriū: vnde cū anima sit forma oportet quod in definitione eius ponatur materia. Ex his verbis constat obiectionis solutio & confirmatio expressa nostræ expositionis: nā aperte docet Magister, & Doctor Sanctus, materiam primam intrare in definitione animæ, à Philosopho tradita; atqui non intrat, si per particulam *corporis* non intelligitur: ergo per illam debet intelligi.

§. IV.

Explicatio particulæ organici.

26. PRo intelligentia huius particulæ notandum est, organum esse instrumentum constans ex partibus æteragneis, vt natura distinctas exerceat operationes; sumpta metaphora ab organo, quod est instrumentum musicum, magna partium varietate constans, vt medijs illis diuersæ voces a cordi efformentur consonantia.

Corpus ergo organicum sumitur in præsenti a Scoto, pro materia prima, forma substantiali corporea, coæuì materiæ, & ab anima realiter distincta, informata. Sed hic modus explicandi est à modernis latè impugnatus in libris de generatione: tum quia anima aduenirет enti in actu, & sic nō constitueret cum materia vnū ens per se: tum quia anima non esset actus primus materiæ, cum iā supponeret alium, habentem rationē actus primi.

27. Quare alij probabiliter, cum Ioanne a Sancto Thoma, asserūt, animam esse definitam per effectū formalem: ita vt anima sit forma, per quam constituitur materia in ratione corporis organici: quę expositio est iam §. antecedenti impugnata.

28. Alij, cum Caietano, defendunt, animam secundum gradum corporeitatis, virtualiter distinctum à gradu vitæ, cōstituere corpus organicum susceptiuum animæ. Sed hæc expositio manet etiā impugnata; & amplius impugnatur: nam anima, secundum gradū corpotis, non exigit organizationem; aliàs omnis forma corporea non vitalis illam exigeret: ergo gradus corporis, nec ex se, nec ratione accidentis subsecuti ad illū, habet organizationem.

29. Quare conformiter ad dicta defendo, per particulam *organici* intelligi materiam primā, varijs dispositionibus affectam. Ratio huius sumitur ex Diuo Thoma, in præsenti lect. 1. nam anima, vt ab alijs formis condistincta, diuersas exercet operationes: ergo debet recipi in materia organica, vt in illa valeat proprias exercere operationes.

30. Inquires an materia, prout affecta dispositionibus remotis, seu antecedentibus; an vero prout affecta proximis, seu concomitantibus,

tibus, sit constituta in organizatione ad animam requisita?

Respondeo, (iuxta doctrinam traditam in libris de generatione) organizationem requisitam ex parte materiæ ab anima esse organizationem causatam in instanti generationis à dispositionib* proximis illam antecedentibus, in genere causæ materialis dispositiuæ. Ratio est nam anima, ex parte materiæ, quærit organum, in quo propria exercet operationes; sed nõ in organo causato à dispositionibus remotis, sed in causato à proximis, illas exercet; cum illud desinat esse in instanti generationis: ergo organum concomitans, & non antecedens, est requisitum, & simul definitum in hac definitione.

31. Nec valet dicere; quod organum ex dispositionibus proximis conflatum subsequitur ad formam genitam. Non (inquam) valet; nam licet dimanet ab ipsa, & subsequatur ad ipsam in genere causæ effectiua, tamen antecedit ipsam, ex parte materiæ, in genere causæ materialis dispositiuæ. Vide quæ ibi dicta sunt.

32. Nec rursus valet dicere, essentiam, animæ, vt substantialem, non posse accipi, nec definiri, in ordine ad organum accidentale. Nõ (inquam) valet nam sicut individuatio animæ, etiam si substantialis sit, valet accipi in ordine ad accidens scilicet in ordine ad materiam connotatem quantitatem; sic essentia specifica animæ valet definiri, & accipi, in ordine ad materiam, quæ connotat organũ accidentale: vnde licet organum accidentale non valeat se habere per modum termini in recto connotati, bene tamen per modum termini in obliquo connotati; seu (vt formalius loquar) vt obliquum obliqui.

§. V.

Expositio vltimæ particulæ potentia vitam habentis.

33. PRo luce huius particulæ nota, duplicem esse vitam; radicalem seu per modum actus primi, vnam; formalẽ, seu per modum actus secundi aliam. Radicalis, seu per modum actus primi, est etiam duplex; nam datur radicalis remota, quæ est principium potẽtiarum, & operationum vitalium; & radicalis proxima quæ tantum est principium operationum vitalium. Formalis, seu per modum actus secundi, est actio immanens, qua viuimus, quæ definitur per hoc *quod est mouere se*, vt constat ex Philosopho. lib. 1. post. cap. 6. vbi sic ait. *Vita certe est actio, & non factio.*

34. Hoc supposito dico, prædictam particulam sic esse explicandam, quod anima sit actus corporis, habentis vitam in potentia; ita vt ly *habentis* non appellet supra particulam *actus*; (vt aliqui absque grammaticali intelligentia volũt) sed supra ly *corporis*; nam corpus orga-

organicum, ad distinctionem corporis non organici, exigit animã, seu est potentia animæ.

§. VI.

De definitionis qualitate.

35. PRo complemento quæstionis inquires, an hæc definitio sit descriptiua, vel essentialis. Pro huius quæsiti responsione nota, solam substantiam completam esse propria & rigorosa definitione definibilem; substantiam vero incompletam nullatenus esse propria definitione definibilem: quia non habet completionem sufficiẽtem ad rationem genericã & differentialem, & sic solum loquimur de definitione quidditatiua, latius sumpta, prout includit explicationem rei definitæ, per prædicata propria & essentialia.

36. Quo supposito dico, hãc definitionem esse animę essentialem, nedum per modum essentiæ, sed etiam per modum naturæ cõsideratæ. Ratio est: nam illa definitio est essentialis, nedum per modum essentiæ, sed etiam per modũ naturæ, quæ per media essentialia explicat definitum, tam in ordine ad actum essendi, quam ad actum operandi; sed hæc definitio animę talis est: quia illa verba *actus primus corporis physici, potentia vitam habentis*, explicat essentiam animę in ordine ad actum essendi; & illud verbum *organici*, explicet illam in ordine ad actum operãdi: vt constat ex expositione non cõmuni: ergo prædicta definitio est essentialis. Nedum per modũ essentiæ, sed etiam per modum naturæ.

37. Nec valet dicere, quod substantia non potest definiri, in ordine ad accidens, quale est organũ ad operationẽ requisitum. Nõ (inquam) valet nam licet substantia, vt explicat essentiæ conceptum, non valeat per se primò definiri in ordine ad accidens, benè tamen vt explicat conceptum naturæ, qui essentialiter est principium motus seu operationum.

QVÆSTIO. II.

Incidens an hæc definitio, rationali (vt rationali) competat animæ?

§. I.

Referuntur sententiæ, & resoluitur quæstio.

1. PRima negat, ex eo quod sentit animam rationalem non habere, respectu corporis, rationem formæ informantis, sed solum rationẽ formæ assistentis; nõ aliter ac motor assistit mobili. Sic Plato, simplicius, Alexander, & alij.

2. Secunda etiam negat conuenire animæ rationali, vt rationali, secus vero vt eminenter cõtentiuæ, sensitiuæ & vegetatiuæ. Sic Caietanus, Ferrara & alij.

3. Tertia (quam pro conclusione

ne amplector) docet, competere animæ rationali, nec dum vt eminenter sensitiuæ & vegetatiuæ cõtentiuæ, sed etiam vt rationali & intellectiuæ. Sic omnes Philosophi pro alijs sententijs non relati.

Probatur; nam anima rationalis, vt talis, est actus corporis physici organici, &c. Sed non est actus inanimatus, & mortuus; cũ constituat hominem: ergo est actus viuus, & vitalis. Maior cõstat ex Concilio Lateranensi, 3. ses. 8. & ex Clementina, 1. de Summa Trinitate, edita in Concilio Viẽnensi à Clemente 5. vbi sic fantur. *Quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere, pertinaciter præsumpserit: quod anima rationalis, seu intellectiua, non sit forma corporis humani, per se, & essentialiter, tanquam hæreticus censendus sit.* Tum sic; quidquid essentialiter, & per se, cõpetit alicui prædicato, ratione sui, & non ratione alterius formalitatis præcontentæ conuenit: ergo anima rationalis, quæ vt talis, est per se forma & actus corporis est etiã per se definita in hac definitione.

4. Probatur secundo anima rationalis, vt talis, est actus nedum corporis, sed etiam corporis organici: tum quia actus risus, & fletus, non valent absque tali corporeo exerceri organo: tum quia actus intellectus, & voluntatis, connaturalissimo modo exercentur ab anima, pro hoc statu, in corpore organico; etiam si ad substãtiam horum actuum non sit necessarium organum: ergo hæc definitio proprijssimè competit animæ rationali, vt tali.

5. Tertio probatur ad hominẽ, contra Auctores secundæ sententiæ; nam in ipsorum opinione, nõ solum competit hæc definitio animæ sensitiuæ, vt vegetatiuæ contentiuæ, sed etiam vt sensitiuæ, quia vt sic est actus *corporis organici, &c.* Sed etiam vt rationalis est actus corporis, &c. Ergo non solum debet conuenire rationali vt sensitiuæ contentiuæ, sed etiam vt rationali; cum vt sic etiam sit *actus corporis, &c.*

6. Dices: ergo definitio nõ cõuenit animæ in communi. Probo hanc consequentiam; per nos hæc definitio conuenit animæ rationali vt rationali. Sed anima vt rationalis non est communis, vel nõ cõuenit cum alijs animabus: ergo talis definitio non conuenit animæ in communi.

Respondetur negando consequentiam. Ad probationem distinguo maiorem conuenit rationali vt rationali, ly *vt* reduplicante supra totam speciem animæ rationalis, concedo maiorem; ly *vt* reduplicante supra rationem differentialem animæ rationalis, nego maiorem, & in eodem sensu nego etiam minorem; nam illa vltima expressio contractiua animæ vt sic, non est anima, sed differentia animæ; & sic quando in præsenti asserimus, animam rationalem, vt talem, esse in hac definitione definitam, non volumus affirmare, quod vltima expressio sit defini-

ta,

ta, sed quod hæc vltima expræssio, vt condistincta ab anima sensitiua præcontenta, participat rationem animæ in præsenti definitæ; vnde hæc propositio *anima rationalis, vt rationalis est definita*; debet intelligi in sensu in quo aduersarij intelligunt hanc: *anima sensitiua, vt talis, est in hac definitione definita*; & sic sicut hanc propositionem admittunt vt veram, quia ratio differentialis animę sensitiuę, vt condistinctæ a vegetatiua, præcontenta, participat rationem animæ vt sic, sic illam propter eandem debent admittere rationem.

§. II.

Primæ sententiæ fundamenta.

7. PRimum primæ sic se habet: vt hæc definitio animæ cõueniat rationali, opus est, quod sit forma corporis, seu materiæ informatiua; hoc ei non competit; tum quia anima, vt per se subsistens, nõ valet esse in alio; tum quia alias haberet appetitum ad corpus, quod ei aliqualiter repugnat ad perfectiorem operationem; tum à simili, quia accidentia spiritualia, substãtia spirituali imperfectiora, non valent recipi in subiecto materiali: ergo anima rationalis non est in hac præcontenta definitione.

Respondetur concedendo maiorem, & negando minorem. Ad primam probationem dico, contra rationem formæ per se subsistentis esse existentiam in alio, tãquam in subiecto inhæsionis, seu tanquam in subiecto substante, nõ vero tanquam in subiecto puræ informationis, quod potest dari absque inhærentia, & absque dependentia ab illo, tanquam a substãtante.

Ad secundam dico, animam ex se appetere corpus, appetitu fruitionis, etiam si a perfectiori operatione quodammodo impediatur ab illo; quia in illo connaturalissime nõ solum istam sed etiam alias exercet operationes, cum de connaturali ratione partis sit operari in alia comparte.

Ad tertiam probationem nego antecedens; nam licet accidentia spiritualia permanenter existentia, seu quæ se habent per modum habitus, non valeant esse, ratione excessus, intra lineam accidentis spiritualis, in subiecto materiali, bene tamen spiritualia vi alia, quæ habent se per modum dispositionis, propter perfectionem infimã quam habent, in genere spirituali; sic licet substantiæ spirituales, quę perfectiores sunt anima, nõ valeãt esse, nec respicere subiectum materiale, bene tamen anima rationalis, quæ inter substantias spirituales infimum obtinet spiritualitatis gradum.

8. Secundum sic procedit. Si anima, appetitu fruitionis, esset in corpore, extra corpus in statu separationis esset violẽta; sicut quia ignis est appetitu fruitionis in cẽtro, extra illud est in statu violento; atqui anima in statu separationis non est violenta, alias posset re vniri naturaliter corpori; vtique quia

quia naturaliter, secundum Philosophum, *violentum nullum est perpetuum*: ergo in corpore non est per modum actus informantis.

Respondetur negando antecedens, quia anima rationalis in vtroque statu est tanquam in statu connaturali; nam quia pars, cõnaturalissimo modo est in compparte; & quia per se subsistens, est etiã connaturali modo in statu separationis; licet in corpore sit modo connaturaliori, quia pars connaturalissimo modo est in compparte: nec exemplum aliquid valet, nam ignis ita est cõnaturaliter in centro, vt non habeat alium locum connaturalem.

Sed admittendo animã in statu separationis esse in statu violento, adhuc non sequitur quod naturaliter valeat re vniri: nam (vt benè notant Complutenses hic) dupliciter, potest dici aliquid esse in statu violento; primò quia habet aliquid positiuum contrarium vt aqua calida habet: secundò quia caret perfectione sibi debita, vt caret Petrus cæcus. Quo supposito dico, id quod in primo sensu est in statu violẽto nõ potest in illo permanenter perseuerare, quia forma contraria connaturalis cum contraria existente debet pugnare; & in hoc sensu propositio Philosophi est vera: at verò quod est in statu violento in secundo sensu, potest permanenter in illo existere; vt constat in exemplo adducto; cum ergo anima separata solum sit in hoc secundo sensu in statu violento, ideo potest absque aliquo inconueniente in illo perseuerare naturaliter.

§. III.

Secundæ sententiæ fundamentum.

9. VNicum secundæ sentẽtiæ fundamentũ sic se habet. Anima rationalis, vt talis, non est actus corporis organici: tum quia potentiæ ab illa, vt tali, dimanantes non sunt organo corporeo affixæ; tum quia potentiæ non valent esse abstractiores à materia, quam radix à qua dimanant; sed potentiæ non valent recipi in organo corporeo: ergo nec anima quæ est illarum radix.

Respondetur negãdo maiorẽ. Ad primam probationẽ dico, animem rationalem nõ solum esse radicem intellectus, & volũtatis, ab organo corporeo non dependentium quoad substantiam, sed etiã fletus, & risus, à corporeo organo dependentium, nedum quoad modum, sed etiam quoad substantiam; & sic exigere corpus organicum nedum vt potentiæ materiales exerceant suas operationes, sed etiam vt spirituales illas modo connaturalissimo, (licet nõ ita perfectiori) exerceant: non enim quod perfectius est, cõnaturalius est rei; vt constat in scientijs infusis, quæ licet perfectiores sint acquisitis, non tamen sunt illę ita connaturales homini sicut istę; sic licet intellectus noster in separationis

tionis statu modo perfectiori intelligat, non tamen modo connaturaliori; cum sit potentia partis exigentis corpus.

Ad secundam admitto tellectũ non esse anima abstractiorem; verumtamen ex hoc non sequitur, quod intellectus nõ valeat recipi in anima; nam anima, cum sit substantia spiritualis, per se subsistẽs, valet recipi in materia, absque eo quod à subiecto dependeat, tanquam à substentante; at vero potentiæ spirituales cum sint in genere accidentis non valent recipi immediate in subiecto materiali, absque eo quod ab illo depẽdeãt, tanquam à subiecto substentante; & ideo potentię spirituales nõ valent recipi immediate in subiecto materiali, etiã si anima in illo immediate possit recipi.

QVÆSTIO III.

An secunda anima definitio, ab Aristotele tradita, sit legitima?

§. I.

Varij modi explicandi definitionem.

1. VT essentia animæ à nobis magis innotesceret eam explicauit Philosophus hac secũda definitione. *Anima est, quo viuimus, sentimus, mouemur & intelligimus primo.* Et licet hæc definitio ab omnibus admittatur, tamen non omnes eam eodem exponunt modo; nã aliqui docent, prædictã definitionem conuenire animæ in communi. Sed non benè nam anima vegetatiua non est, qua sentimus, nec qua intelligimus; & tamen essentialiter participat rationem animæ vt sic: ergo in prædicta definitione anima in communi non est à Philosopho explicata, præcipue cum in prima definitione sit iam animæ vt sic declarata essentia.

2. Quare alij dicunt solum conuenire animæ rationali. Sed licet tota valeat animæ rationali appropriari, non tamẽ est iuxta mẽtem Philosophi, vt ex dicendis constabit.

Et ideo dico in præsenti non solum fuisse definitam animã rationalem, sed omnes gradus animæ, hoc est omnes differentias animæ, vt sic, cõtractiuas: nam postquam Philosophus in prima definitione declarauit essentiam animę, vt sic, conueniens erat vt statim explicaret rationes speciales ipsius animæ; & ideo in prædicta definitione sunt ab illo explicatæ.

Et quod in prima particula scilicet *viuimus* non sit intellecta vita vt sic, vt abstrahens ab omnibus vitæ gradibus, sed solum vita vegetatiua, constat, tum ex Philosopho, text. 18. vbi hanc repetens definitionem dixit *animã esse principium vegetandi sentiẽdi, &c.* Tum ex D. Tho. in præsẽti, tex. 25. lect. 4. vbi loquens de hac particula ait *viuere enim refertur ad principiũ vegetatiuum.* Tum quia non potest assignari ratio, quare sint alię animę expli-

explicatæ, absque eo quod vegetatiua sit in præsenti explicata: ergo in prędicta definitione fuerunt explicatæ rationes differentiales animæ in communi.

3. Vnde legitimus huius definitionis sensus est, animam vt sic, nõ solum contrahi per vitam vegetatiuam, sed per sensitiuam, & non vt eamque per istam, sed etiam per perfectiorẽ, scilicet per loco motiuam, & denique per intellectiuam omnibus perfectiorem: cum ergo omnes istæ differentiæ animæ, vt sic, sint in homine, ideo proprie dixit esse *quo viuimus* & non *quo viuitur*.

§. II.

De qualitate huius definitionis.

4. INquires, an hæc definitio sit essentialis, vel descriptiua? Breuiter respondeo esse essentialem animæ, non per modum essentiæ, sed per modum naturæ consideratæ: ratio est, nam hæc definitio explicat animam in ordine ad actum operandi; sed conceptus naturæ (vt ab essentiæ cõceptu condistinctus) respicit actum operandi: ergo hæc definitio est essentialis animæ, per modum naturæ consideratæ.

4. Insurgo ex Diuo Thoma, lect. 3. tex. 13. vbi loquens de hac definitione ait *manifestum est quod prædicta demonstratio est à posteriori*; sed definitio, quæ datur per medium à posteriori, est descripti ua; ergo hæc definitio non est animæ essentialis.

Dico Diuum Thomam hanc definitionem appellasse à posteriori, non quia non sit essentialis animæ per modum naturæ consideratæ, sed quia non est essentialis animæ per modum essentiæ consideratę; & cum conceptus naturæ subsequatur tanquam ratio à posteriori ad conceptum essentiæ, ideo hanc definitionem demonstrationẽ à posteriori nuncupauit; ac per consequens descriptiuam respectu cõceptus essentiæ.

QVÆSTIO IV.

Quot sint genera animarum? quot vitæ? quot ve potentiarum animæ?

§. I.

Prælibantur aliqua.

1. TOta huius quęstionis difficultas oritur, ex definitione secunda animę, in qua anima diuiditur, in vegetatiuam sensitiuam, loco motiuam, & rationalẽ; & licet particula, *quo loco mouemur*, in textu Aristotelis non appareat, (ex cuius superadditione tota hæc nascitur controuersia) nihilominus quia ab omnibus, cum Diuo Thoma, admittitur, ideo communiter in præsenti asignant Doctores tres animas generice distinctas; videlicet *vegetatiuam*, *sensitiuam*, *& intellectiuam*; & quatuor gradus vitæ, videlicet *vegetatiuũ*, *sen-*

sensitiuum, *loco motiuum*, *& intellectiuum*; & denique quinque potentias, videlicet *vegetatiuam*, *sensitiuam*, *loco motiuam*, *intellectiuum*, *& appetitiuam*.

2. Sed vt intelligentiã certaminis habeas, nota primò, ex D. Th. 1. p. q. 18. ar. 3. quod viuentia distinguuntur à posteriori à non viuentibus, per ordinem ad operationem. Vnde (iuxta omnes Philosophos) illa forma obtinet perfectionem animæ, quæ est principium, seu radix alicuius operationis eleuatæ supra operationes rerum inanimatarum, vel quæ est principium motus à se; & sic vita explicatur à Philosopho per hoc, quod est *moueri à se*, idest per hoc quod est esse principium actiuum, & passiuum operationis a se principaliter dimanantis.

In rebus namque inanimatis triplex imperfectio reperitur per ordinem ad operationem; prima quod non gaudeant principio intrinseco (saltim principali) quo se moueãt, sicut leuia & grauia, quæ specialiter non à se, sed a generãte sunt mota. Secunda, quod operentur per qualitates materiales, & sensibiles. Tertia quod omnis operatio exerceatur in corpore, & in illo recipiatur.

In rebus vero animatis, è conuerso triplex perfectio reperitur; prima, quod licet operentur per qualitates sensibiles, & materiales, tamen operantur principaliter, & non instrumentaliter, talisque modus operandi communiter solet animæ concede vegetatiuæ. Secunda quod licet operentur medio organo corporeo, & materiali, tamen non operantur per qualitates omnino materiales, sed per qualitates intentionales, & talis modus operandi solet tribui animæ sensitiuæ. Tertia, quod licet opeerntur in corpore, non tamen medio organo corporeo; & talis modus est proprius animæ rationalis.

3. Secundo nota, (ex eodẽ Sancto Tho. loco supra citato) quod tripliciter potest aliquid moueri ab alio; primo, quantum ad executionem, quia non habet in se principia principalia motus. Secundo, quantum ad formam, quia non habet à se virtutem causatiuam motus. Tertio, quantum ad finem, quia non à se sed ab alio ordinatur in finem.

Ex quo etiam fit quod tripliciter possit aliquid moueri à se; primò, quantum ad executionem. Secundo, quantum ad executionem & formam. Tertio, quantum ad executionem formam, & finẽ. Primo modo dicuntur plantæ moueri a se, quia non in virtute generantis, sed per virtutem à generante acceptã principaliter nutriuntur, crescunt, & fructificant. Secundo modo mouentur bruta à se, quia non solum sunt principia principalia sui motus, sicut plantæ, sed etiam à se ipsis habent, & non à generante, formã per quam operantur; nam licet à generante habeant potentias sensitiuas, istæ

tamen

tamen non sufficiunt ad sensationem, sed vltra hoc exposcunt idealem formam, seu speciem impressam, quæ potentiam ad talem determinant sensationem; iuxta illud Augustini *ab obiecto & potentia partitur notitia.*

Cæterum iste modus motionis à se, in opinione communi, habet latitudinem, diuiditurque in duas; nam quædam sunt animalia imperfecta, quæ nõ recipiunt species obiectorum distantium, & sic carent motu progressiuo; vt patet in animalibus lapidibus affixis: alia vero sunt perfecta, quæ percipiunt obiecta distãtia, media sua specie, & sic gaudent motu progressiuo, vt illorum consequantur perfectionem: nam animalia perfecta vident cibum distantem, quem vt manducent motuuntur progressiuo: tertio modo mouentur à se rationalia, quæ non solum habent à se executionem, & formam, sed etiam finem vt cõstat ex dictis 2. Physic. dispu. 6. q. 4. §. 1. n. 3.

4. Nota denique, hanc diuisionem animæ, in uegetatiuam, sensitiuam, & rationalem, esse quasi generi supremis, in genera intermedia, seu in species subalternas illius; nõ vero infimas; quia sub specie determinata animæ vegetatiuæ, plures species arborũ & herbarum cõtinentur; & similiter sub anima sensitiua plures species animaliã continentur; licet vltimum diuisionis mẽbrum sit in specie infima: nam licet sub vita intellectiua contineatur intellectiuum Dei, Angelorum, & hominum, tamen in hac diuisione fuit vita intellectiua determinata ad vitam ortã ex forma substantiali materiã informante scilicet ad vitam intellectiuã hominum.

§. II.

Propria mens.

5. IN hac re valde anceps est decissio; nam si mentẽ Diui Thomæ, & ferè omnium Doctorum consulo, propriam desero; si propriam amplector, nouitatem opinandi timeo; & sic quod eligam ignoro. Amicus Plato, sed magis amica veritas; accipe ergo proprium iuditium, & si non pro certaminis resolutione, saltim pro ratione dubitandi.

6. In rerum natura tria tantum videntur esse genera animarum, tria viuendi genera, triaque potentiarum animæ genera: prima pars communis est & sic communiter probatur; animata triplicitER tantum valent in operãdo eleuari supra res inanimatas; primo quia principaliter possunt operari à se, & in se, per qualitates nimirum materiales; secundo quia possunt operari per formas intentionales à se habitas, & à materia aliqualiter depuratas: tertio quia possunt operari per qualitates & formas omnino spirituales; sed distinctio generica animarum sumitur ex prædicto excessu seu eleuatione: ergo genera animarum sunt tria tantum; præcipuè cum non

sit excogitabilis alius eleuationis modus.

7. Secundo probatur eadẽ pars: inanimata possunt tripliciter moueri ab alio; & è conuerso animata tripliciter tãtum valent moueri à se; videlicet quantum ad executionem, formam, & finem; sed quilibet modus motionis à se constituit animam genericè distinctam: ergo diuisio generica animæ à nobis & ab omnibus communiter asignata est legitima & adæquata.

8. Secunda pars huius resolutionis defenditur à recentiore nostræ familiæ, ex eo quod sentit nulla dari animalia ita imperfecta, quę moueri non valeant localiter, ad cognoscenda obiecta distantia, secundum maiorem vel minorem perfectionem sensitiui; quare consequẽter affirmat, gradum loco motiuum non esse a sensitiuo distinctum.

Hæc ratio non conuincit intẽtum nam vel principium radicale motus progressiui habet distinctã in genere motionem à se, vel non. Si primũ, ergo licet sit semper separabilis realiter à sensitiuo, erit tamen distinctus genericè, nõ aliter ac in opinione Thomistarum potentia loco motiua est realiter inseparabilis ab appetitiua, & tamen est generice distincta ab illa; & non aliter ac passio est inseparabilis ab actione, & è contra, & tamen diuersa cõstituunt genera; si secundum: ergo ex separatione huius potentiæ non debet colligi generica distinctio gradus; nõ aliter ac non colligitur in gradu sensitiuo, etiam si in aliquo animali separetur potentia visiua ab alijs potentijs sensitiuis; quia hæc non habet diuersum modum motionis à se.

Confirmatur & explicatur hæc ratio: si radix vitalis potentiæ loco motiuæ est gradus a sensitiuo generice distinctus sequitur quod talis radix potentiæ loco motiuæ sit anima generice distincta a sensitiua; hoc secundum non dices: ergo nec primum. Probo sequelam; gradus loco motiuus, vt cõdistinctus ab anima sensitiua, facit animatum; tum quia animatũ ab inanimato solum per vitam est distinctum: tum quia iste gradus, vt condistinctus ab alijs, est actus corporis physici: ergo si gradus loco motiuus est distinctus a sensitiuo generice, etiam est anima à sensitiua generice distincta; cum à definitione ad definitum optima sit consequentia: ergo ex multiplicatione generica graduum optimè sequitur multiplicitas generica animarum.

9. Dices primò: gradum loco motiuum non esse absolute actum corporis; sed affectionẽ actus sensitiui, vel animæ sensitiuæ. Sed cõtra est; nam in sensu, in quo gradus loco motiuus est affectio animæ sensitiuæ, est etiam gradus sensitiuus affectio animæ vegetatiuæ; nã sicut iste perficit istam, sic ille illã; sed non obstat hoc, vt gradus sensitiuus obtineat perfectionem: ergo

go nec vt loco motiuus obtineat etiam perfectionem animæ; si vera est contrariorum opinio.

10. Dices secundò, cum Complutensibus; multiplicitatem genericam animarum debere accipi ex diuersa eleuatione supra reliqua animatas; quæ cum solum sit in triplici differentia, solum sunt animarũ genera tria: at vero gradus vitæ, seu modi viuendi, non ex eleuatione, sed ex diuerso modo mouendi à se debet accipi: & cum in genere sensitiuo valeant res moueri à se, quod obiecta in distãtia, & distantia, ideo debet assignari multiplicitas generica in gradibus, absque eo quod assignetur in animabus.

Sed contra est; nam moueri à se, quoad obiecta distantia, vel in distantia, non arguit diuersitatem genericam motionis intra genus vitæ sensitiuæ; cũ motio à se, quoad obiecta indistantia, sit à se quoad executionem, & formam; sicut est motio à se quoad distantia: ergo vtraque motio in eodẽ est gradu generico vitæ.

Contra est secundo. Quod motio à se sit circa hoc vel illud obiectum (dummodo eadem principia motionis à se habeat) nimis de materiali se habet ad multiplicitatẽ genericam vitæ, (vt ex se constat, & aduersarij admittunt) ergo similiter quod motio à se sit circa obiectum magis vel minus distãs, nimis de materiali debet se habere ad multiplicitatem genericam vitæ.

Contra est tertio: maior diuersitas motionis à se datur inter cognitionem sensitiuam, & appetitum sensitiuum: cum illa trahat res ad se, & iste feratur ad res per modum inclinationis, quã inter hoc quod est moueri à se ad obiecta distantia, & indistantia; sed illa diuersitas non est sufficiens (in opinione omnium Doctorum) vt in genere sensitiuo multiplicentur gradus generice; quia appetitus sensitiuus, sicut cognitio sensitiua solum mouetur à se quoad executionem & formam: ergo similiter non debet sufficere diuersitas motionis, quoad obiecta distantia & indistantia, vt multiplicentur genericè gradus vitæ in genere sensitiuo: cum vtraque motio solum sit à se quoad executionem, & formam.

11. Dices tertio: intra genus animæ sensitiuæ assignari duplicẽ gradum vitæ, quia potentia loco motiua valet ab alijs separari, vt constat in animis animalium imperfectorum. Sed contra est, nam potentia visiua etiam deficit talpæ, cum exigentia negationis oppositæ; & tamen in ordine ad potentiam visiuam non distinguitur alius gradus vitæ sensitiuæ; quia nec positio, nec carentia potentiæ visiuæ infert intra genus animæ sensitiuæ aliud genus motionum à se; ergo similiter nec expositione, nec ex carentia potentiæ loco motiuę debet inferri in ordine ad potentiam loco motiuam nouus gradus vitæ intra genus animæ sensitiuæ;

tiuæ; cum intra tale genus non inueniatur aliud genus motionis à se, vt manet probatum.

12. Vltimò probatur hæc tertia pars, ad hominem contra Thomistas: nam ex doctrina D. Tho. (vt videre est apud Carmelitas in præsenti, dispu. 7. q. 2. §. 4. ad vltimam obiectionem) ex eo potētia loco motiua non est distincta in brutis ab appetitu sensitiuo, nec in hominibus ab appetitu rationali, quia eodem appetitu, quo efficaciter tēdit animal per modum inclinationis, in bonum distans, medio actu formaliter immanenti, tendit etiam ad executionem, seu consecutionem eiusdem boni, medio motu progressiuo ab actu virtualiter trāseunte eiusdem appetitus causato, licet motus progressiuus non comparetur ad appetitum sicut actio ad agens, sed sicut effectus ad agens; nam corporis mēbra in ordine ad motum progressiuum se habent sicut lapidis entitas in ordine ad motum. Tum sic, hi Doctores in ordine ad appetitum nō distingunt gradum vitæ genericè distinctum, ab eo, qui in brutis est radix potentiæ sensitiuæ; & ab eo, qui in hominibus est radix potentiæ intellectiuæ; quia appetitus non constituit gradum, sed consequitur ad gradum: ergo propter eandem rationem non debet asignari gradus distinctus in anima in ordine ad potentiam loco motiuam, cum ista non sit ab appetitu distincta; imò sit munus secundarium potentiæ appetitiuæ: si ergo in ordine ad primarium munus non asignatur gradus distinctus, cur debet asignari in ordine ad secundarium?

13. Tertia pars, quæ à nullo defenditur Doctore, videlicet potentias animæ genericè solum esse tres, vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam, sic probatur. Omne genus motionis à se, in potentijs formaliter & proxime cōtentum, est in anima radicaliter & remotè contentum; sed in anima tantum continentur, radicaliter, seu remote, tria genera motionis à se; aliàs numerus animarum non esset tantum triplex: ergo in potentijs solum continentur formaliter & proximè hæc tria genera motionum à se; atqui ad hæc solum sunt necessariæ tres potentiæ genericè distinctæ: cum (secundum Philosophum, & veritatem) potentiæ distinguantur per actus: ergo potentiæ animæ solum sunt genericè tres. ¶ Confirmatur: potentiæ animę dimanant ex anima; sed in anima solum datur triplex genus diuersitatis: ergo ab illa solum possunt dimanare tres potentiæ genericè distinctæ, seu diuersæ.

14. Dices cum Complutēsibus; potentiæ distinguuntur per obiectum, in esse obiecti, quod est genericè quincuplex; nam potest attingi per intus sumpsionem, & sic proximè versatur circa illud potentia vegetatiua; vel potest attingi vt sensibile, media specie sensibili, & sic versatur cica illud potentia

tentia sensitiua; vel potest attingi secundum rationem entis, media specie spirituali, & sic versatur circa illud potentia intellectiua; vel potest attingi secundum rationem boni, per modum inclinationis, in ordine intentionis, & sic versatur circa illud potētia appetitiua; vel denique potest attingi secundum eandem rationem boni, per modū inclinationis, in ordine executionis, & sic versatur circa illud potentia loco motiua: ergo potētiæ non debent multiplicari genericè iuxta multiplicationem genericā animarum.

15. Hæc est Doctorum ratio, cōcisso stilo proposita; ad quam fateor quod potentiæ non solum accipiunt vnitatem genericam & specificam ab actibus, sed etiam ab obiectis: (vt constabit ex disp. sequenti) veruntamen hæc solum tribuunt vnitates quasi passiue, & terminatiue, vt attacta ab illis: si ergo solū datur triplex genus attinctionis, seu motionis à se, ex parte actuum, quomodo valebit dari ex parte obiecti quincuplex attinctio passiua, & terminatiua, cum hæc, attinctioni quasi actiue, quę se tenet ex parte motionis seu actus, debeat correspondere? Et quod attinctio passiua per modū inclinationis non diuersificet tertium genus motionis à se, constat ex eo quod talis potentia est intra idem genus motionis à se, vt aliquid ad illud consecutum, etiam si sit sub distincta specie eiusdem generis.

16. Secundò probatur conclusio. Potentia loco motiua (vt dixi supra) non distinguitur ab appetitiua, sed est munus secundarium appetitiuæ; & sic comparatur ad appetitum, sicut vsus logicæ comparatur ad doctrinam; vel sicut Logica vtens comparatur ad docentem: nā sicut vtens executioni mandat id, quod præceptum est à docente, sic loco motiua executionis ordine cōsequitur id, quod ordine intētionis intentum est ab appetitu; sed Logica vtens, nec in genere, nec in specie est in esse scibilis distincta à docēte: ergo nec potētia loco motiua debet distingui (saltim in genere) ab appetitiua, in casu quo hæc esset in Brutis à sensitiua, & in hominib' ab intellectiua distincta.

17. Tertio probatur: si appetitiua Bruti esset à sensitiua generice distincta, etiam deberet esse generice distincta ab appetitiua hominis; hoc non dicis: ergo nec illud. Probo sequelam. Ex eo sensitiua Bruti distinguitur generice ab intellectiua hominis, quia illa solum habet motionem à se, quātum ad executionem & formam, & non quātum ad finem; sicut intellectiua hominis; sed appetitiua Bruti non habet hanc tertiā motionem à se, quam habet appetitiua hominis: ergo propter eandem rationem deberet distingui.

Ex quo infero, appetitiuā Bruti esse potētiam intra idem genus subsecutam ad sensitiuam ipsius; & similiter appetitiuam hominis

esse intra eidem genus subsecutam ad intellectiuam hominis.

§. III.
Decisio quæstionis.

18. HIs prælibatis, pro speciali modo sentiendi, defendo cum Doctore Sancto tria esse genera animarum, quatuor vitæ, & quinque potentiarum. Prima pars est satis stabilita. Secunda probatur à Doctoribus, ex eo quod in genere sensitiuo datur duplex modus motionis à se: nam in animalibus imperfectis solum datur quoad obiecta indistantia, & in perfectis, quoad distantia media potentia progressiua, in imperfectis non operata: ergo vltra gradus vitæ vegetatiuæ & rationalis datur in genere sensitiuo duplex gradus vitæ: ergo gradus vitę sũt quatuor.

19. Tertia pars probatur ratione supra posita, §. antecedenti de diuersitate obiectorũ, ex qua debet colligi diuersitas potentiarũ: ergo quincuplex est genus potentiarum.

Ex his colligunt Doctores diuersitatem animarum accipi, non ex diuersitate motionum à se, cum ex ha solum accipiatur diuersitas graduum; sed ex diuersitate eleuationis supra formas inanimatas. Vnde asserunt, gradum loco motiuum, vt condistinctum à sensitiuo non constituere animatum, prout animatum dicit diuersam animam ex diuersa eleuatione desummendam, bene tamen prout animatum dicit formam diuerso modo se mouentem.

§. IV.
Argumenta quæ obstant.

20. PRimum sic se habet: forma vegetatiua non habet formam immanentem, seu à se, & in se; cum omnis actio ipsius tendat ad externam materiam: ergo forma vegetatiua non diuidit rationem animæ in communi. ¶ Respondetur negando antecedens: ad probationem dico, animã vegetatiuam habere actionem intrinsecam & immanentem; nam actio nutritiua tẽdit ad hoc vt substantia alimenti transeat in substantiam aliti, seu in substantiam propriam, in qua recipitur, & à qua egredietur actio nutritiua.

21. Secundum: vita creata est participatio vitæ diuinæ & infinitæ; sed hæc non participatur ab anima vegetatiua; cum vita Dei consistat in intellectualitate radicali: ergo anima vegetatiua nõ est participatio vitæ, vt sic. ¶ Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorẽ; vita Dei non participatur ab anima vegetatiua secundum perfectionẽ vltimam, concedo minorem, secundũ communem, nego minorem & cõsequentiam; nam vt forma vegetatiua sit anima, non est opus quod sit intellectualis; alias nec forma sensitiua esset anima; sed solum quod sit principium motionis à se.

&

& in se, vt est vegetatiua, etiam si non participet gradum vltimũ vitæ diuinæ.

22. Tertium: ex eo gradus vegetatiuus obtinet perfectionem animę, quia est ab Aristotele in secunda animæ definitione positus; sed etiam gradus loco motiuus est appositus: ergo etiam iste obtinebit animæ perfectionem: ergo numerus animarum non est recte assignatus. In primis pro meo modo sentiendi respondetur negãdo talem particulam esse à Philosopho appositam in secunda animæ definitione. Secundo respondetur pro sententia D. Tho. Philosophũ in secunda definitione nõ definisse animam in communi, ab ipso iam in prima definitione definitã; sed solum gradus diuersos vitæ, inter quos, Doctores loco motiuum numerant. Vnde vegetatiuus nõ obtinet perfectionem animæ, quia numeratus; sed quia habet peculiarem eleuationem in operando, supra formas inanimatas, quã non habet gradus loco motiuus.

23. Dices: etiam gradus locomotiuus habet peculiarem eleuationem; vtique quia mouetur ab intrinseco, perfectiori modo ac anima sẽsitiua: ergo locomotiuus obtinet perfectionẽ animæ. ¶ Respondetur negando antecedens; nã licet verum sit, quod gradus loco motiuus eleuetur supra formas inanimatas, tamen hæc eleuatio no excedit eleuationem animæ sensitiuæ, & ideo non est anima ab ipsa generice distincta, licet sit gradus à sensitiuo generice distinctus. Ratio est iam insiuuata; nam ad multiplicationem genericam animæ est necessaria distincta eleuatio; at vero ad multiplicitatem gradum sufficit distinctus modus motionis à se.

24. Dices, forma vegetatiua, vt separata à sensitiua, non habet aliquam eleuationem supra operationes formæ inanimatæ: nam forma ignis, quæ inanimata est, operatur per operationem intrinsecam principalem, in ipso igne multoties receptam, vt accidit quando terminatur ad nutritionẽ ipsius: ergo forma vegetatiua non superat operationes formæ inanimatæ.

Respondetur negando antecedens: nam forma vegetatiua: adhuc prout separata in plãtis à sensitiua, per se est principium principale operationis à se, & in se, medio organo corporeo: at vero forma ignis, licet peraccidens, hoc est ratione continuationis (vt dixi in lib. 1. de generat. disp. vltima q. vnica) valeat recipere propriam actionem tamen talis actio principaliter, & per se, non exigit esse in ipso igne, sed in alio numerice distinctio. Adde ignem nõ operari medio organo corporeo, seu per intussumptionem, quod necessarium est ad rationem vitæ.

25. Quartum: iuxta regulas dialecticorum membra diuidentia nõ possunt adinuicem se includere; sed anima sensitiua, quæ est vnum membrum istius diuisionis, includit

dit vegetatiuam; & similiter intellectiua sensitiuam: ergo male diuisit Philosophus animam in vegetatiuam, sensitiuam, & rationalem. ¶ Respondetur concedendo maiorem, & negãdo minorem: nam anima sensitiua non includit vegetatiuam, vt membrum est huius diuisionis: & ratio est, quia vegetatiua (vt infra dicunt omnes Philosophi) valet dupliciter accipi; primo vt vegetatiua reduplicatiue, hoc est, vt includit rationem vltimam, & differentialem constitutiuam plantæ; & secundum hãc rationem vegetatiua excludit sensitiuam, & sensitiua intellectiuam: secundo secundum rationem communem, & generalem animæ vegetatiuę & sensitiuæ; & secundum hanc rationem vegetatiua includitur in sensitiua, & sensitiua in rationali: atqui vt sunt membra huius diuisionis non accipiuntur in secunda, sed in prima acceptione: ergo prout sic vnum membrũ non includit aliud. Hæc dicta sint pro doctrina D. Th. tu elige quod malueris.

QVÆSTIO V.

An anima omnes corporis informet partes.

§. I.

Duæ tituli cum Doctorum placitis.

1. PLurimæ sunt partes in cõposito, de quibus singillatim disputamus, an ab anima informentur? Nam cum anima sit actus corporis, ideo inquirimus, an omnes corporis informet partes? Et quod attinet ad partes perfectiores, quales sunt carnes & ossa, inconfesso est apud omnes informari ab anima: quare tota controuersia procedit, de sanguine, & alijs humoribus, & etiam de vnguibus, capillis, & cœteris partibus, quæ sunt naturæ ornamenta: nam de lachrimis, salua, & alijs excrementis, certum est etiã apud omnes non informari ab anima: sed quia præcipua difficultas est de humoribus, inter quos sanguis est notior, ideo de illo vberius discutiemus: attamẽ quod dictum fuerit de humore sanguineo, dicendum erit (proportione accomoda) de alijs humoribus.

2. Pro intelligentia quæstionis nota Complutenses in præsenti distinguere duplicem sanguinẽ; nutrimentalem vnum, & naturalem alium: primus est sanguis parum decoctus, & depuratus: secũdus est qui fit ex priori sanguine, per maiorem elaborationẽ, & decoctionem.

3. Hoc supposito, prima sententia affirmat, sanguinem non ab anima, sed â forma inanimata informari. Docet hoc D. Bonauent. in 4. dist. 44. q. 1. ar. 1: Durandus: Richardus, Capræolus, Scotus, Soto, Abulensis, Galenus, Suarez, & Vazquez.

4. Secunda defendit, sanguinẽ naturalem ab anima informari, & ani-

animari; nutrimentalem vero minime. Tuentur Complutenses, pro eaque adducunt D. Th. Aristotelem 3. de historia animalium; sed nescio quo fundamento.

5. Tertia docet, sanguinem naturalem, & nutrimentalem informari ab anima. Sic D. Th. Conradus, Toletus, Assudillo, & ex modernis alij quam plurimi: in huius obsequium sit.

§. II.

Conclusio.

6. OMnis sanguis, siue naturalis, siue nutrimentalis informatur ab anima. Prima pars probatur: sanguis naturalis, qui est in homine informatur ab anima rationali: ergo & sanguis naturalis cuiuscumque animalis. Cõsequentia est certa: antecedens probatur; sanguis naturalis est de integritate corporis humani; primò quia Concilium Tridentinum sess. 13. cap. 2. ait, sanguinẽ Christi Domini esse sub speciebus panis, ex vi illius connexionis, qua partes corporis inter se copulantur: ergo supponit sanguinem esse de integritate corporis humani. Secundo, quia Aristot. 1. de historia animaliũ, cap. 1. ait: *partes autem similares, aut molles animalium sunt vt sanguis*: ergo sentit sanguinem esse animalium partem. Tertio quia D. Thom. 3. par. quæs. 54. art. 5. ait, *manifestum est autẽ quod ad naturam corporis humani pertinẽt carnes, ossa, sanguis & alia huiusmodi*: ergo iuxta mentem D. Thom. sanguis est de integritate corporis humani. Quarto ratione nam corpus humanum sine sanguine manet mancum, mutilatum, & valdè deffectuosum, cum nõ valeat proprias exercere operationes: ergo sanguis est de integritate corporis humani: ergo informatur ab anima: probo hanc cõsequentiã: corpus humanum informatur ab anima: ergo eius partes debent ab illa informari: tum quia partes nõ sunt à toto distinctæ: tum quia nõ esset sanguis pars corporis animati, sed inanimati: tum quia aliẽ partes, quia tales, informantur ab anima.

7. Secundo probatur: si sanguis naturalis hominis non informatur ab anima: ergo ab alia forma: ergo in corpore humano dãtur duo composita substantialia, & simpliciter dicta, essentialiter diuersa; & consequenter duplex corpus in vno corpore humano. Probo cõsequentiam: corpus humanum (vt constat ex ratione præcedenti) constat ex sanguine naturali, tanquam ex parte; sed composita & corpora specifice multiplicantur ad multiplicationem formarum: ergo in corpore humano, à distinctis in specie formis informato, dãtur duo composita, & corpora substantialia essentialiter diuersa.

8. Tertio probatur, ratione Theologica. (quæ simul erit confirmatio præcedentis) Verbũ Diuinum immediatè assumpsit sanguinem:

guinem: ergo sanguis informatur ab anima rationali. Antecedēs est ita certum, vt sit conclusio Theologica. Consequentia probatur: Verbum Diuinum immediatè solum sumpsit humanitatem, ex anima rationali essentialiter coalescente: ergo si assumpsit immediatè naturā sanguinis, est quia fuit illius materia ab anima rationali informata.

9. Et si dicas: Verbum Diuinum non solum assumpsisse immediatè naturam humanam, & rationalē; sed etiam irrationalem. Cōtra est, ergo Verbum Diuinum duas assumpsit naturas, quod hæreticum est; vtique quia veritas catholica docet; Verbum Diuinum solum assumpsisse vnam humanitatis naturam. Veritas consequentiæ probatur; nam in contrariorum opinione, nedum assumpsit humanitatem, sed sanguinem ipsius humanitatis; ergo personalitas Diuina immediatè terminauit naturā humanam, & naturā sanguinis; præcipuè cum vnico naturæ ad Verbum sit personalis, quærens immediatè naturam: ergo terminauit duas naturas, rationalem vnam, & irrationalem aliam: ergo assumpsit has duas naturas.

10. Et si secundo dicas, Verbū Diuinum non assumpsisse duas naturas completas, sed vnam, ex forma sanguinis & aliarum partium ad integrata: non aliter ac homo integraliter constat ex partibus etherogeneis; scilicet capite, brachijs &c. Contra est; nam ex materia & anima rationali complete resultat humanitas à Verbo Diuino immediate assumpta: ergo ex hac: & ex forma inanimata non valet resultare vna natura completa physice, & per se, sed solum aliquid complexum, chimæricum, & monstruosum, vt ex te constat. Nec instantia valet aliquid; nam ex capite, brachijs, sanguine, & alijs, potest optime resultare vnus homo, in genere quantitatis, cum omnes istæ partes ordinentur ad compositionem corporis etherogenei.

11. Et si tertio dicas cum Patre Suarez, naturam sanguinis nō esse moraliter distinctam à natura aliarum partium, sed vt vnam cum alijs reputari. Contra est: natura humana non fuit assumpta à Verbo moraliter, hoc est, iuxta æstimationem prudentium; cum hæc peraccidēs se habeat ad vnionem physicam personalitatis; sed physice, vnione physica & hypostatica; sed physice forma sanguinis (si inanimata est) non valet cōstituere vnum per se, cum forma aliarū partium, (vt sæpe sepius dixi in physicis) ergo vel personalitas Verbi duplicem terminauit naturam, quod plusquam falsum est, vel natura sanguinis immediate terminata, est ab anima rationali informata.

Contra est secundo; ex materia & forma inanimata absque dubio fit, physice & realiter, natura completa; vt constat in lapide, & in omnibus rebus inanimatis; & similiter

siter ex materia & forma rationali fit physicè & realiter alia natura completa; sed Verbum Diuinum immediatè (vt dixi) vnione physica & reali terminauit naturam capitis, in omnium opinione resultantem ex materia, & ex anima rationali; & etiam naturā sanguinis resultantem (in aduersariorum opinione) ex materia & ex forma inanimata: ergo physicè duplicem terminauit naturam: ergo physicè duplicem assumpsit naturam: cum in tantum sit humanitas (in omnium opinione) assumpta, in quantum est physice terminata.

12. Quoad secundam partem probatur conclusio nostra à modernis: tum quia sanguis nutrimētalis, sicut naturalis, est pars corporis humani: tum quia substātialiter non est à naturali distinctus. Sed istæ rationes efficaciter non probant conclusionem; & ideo ratione efficaci Theologica sic probo conclusionem. Sanguis nutrimētalis immediate fuit vnitus Verbo Diuino: ergo fuit informatus anima rationali: consequentia cōstat ex dictis: quia dum concilia & Patres asserunt sanguinem Christi fuisse immediate vnitum Verbo, indeffinite loquuntur; sed propositio indeffinita æquiualet vniuersali: ergo omnis sanguis, siue naturalis, siue nuarimentalis, fuit vnitus immediate Verbo: tum quia omnis sanguis à Christo effusus in ara Crucis, fuit infiniti valoris: nō solum ex parte offerentis, & effundētis, (vt volunt aliqui) sed etiam ex parte rei oblatæ, & effusæ: vt constat ex Clemente VI. qui asserit, *quamlibet guttam sanguinis effusi, habuisse infinitum valorem, propter vnionem ad Verbum*; sed sanguis nutrimentalis etiam fuit effusus: ergo nutrimentalis fuit immediate vnitus; alias non quælibet gutta esset infiniti valoris, quod expresse opponitur Pontifici. Tum ex D. Th. 3. p. q. 54. ar. 2. & quod lib. 5. ar. 5. vbi sic ait, *Christus Dominus in resurrectione totum sanguinē à se effusum reasumpsit.* Quem sic exporo: Christus Dominus (vt admittunt Complutenses) effudit sāguinem nutrimētalem: ergo illum reasumpsit; sed quidquid fuit reassumptum fuit assumptum in Incarnatione: ergo sanguis nutrimētalis fuit assumptus in Incarnatione: ergo informatus anima; ne dicamus duplicem assumpsisse naturam.

§. III.

Contrariorum tela.

13. PRimum argumentum cōtrariæ sententiæ sic se habet: sanguis (vt constat ex Philosopho lib. 2. de partibus animaliū, cap. 5. & etiam ex Medicis) est alimentum; sed alimentum nō informatur ab anima; (vt constat ex Philosopho lib. 1. de generat. tex. 2. & 38: ergo sanguis non potest animā informari. ¶ Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem; alimentum non

non informatur ab anima, alimentum parum decoctum, deseruiens ad primam nutritionem, concedo minorem; decoctum, & deseruiẽs ad secundam, nego minorem, & consequentiam; nam Philosophus (loco citato) loquitur de alimento crudo, & parum decocto, (quod dicitur substantia chyli, & de quo certum est, quod non informatur anima) non vero de decocto; quale est sanguis, siue naturalis, siue nutrimentalis.

14. Dices: nutrimentum virtute nutritionis cõuertitur in substantiam aliti; sed talis conuersio est transitus de substantia mortua ad substantiam viuam: ergo sanguis, qui est alimentum transit ad substantiam viuam: ergo non est ab anima informatus; aliàs non transiret ad substantiam viuam.

Respondetur distinguendo maiorem; alimentum conuertitur in substantiam aliti, alimentum secundum deseruiens ad secundam nutritionem, nego maiorem; primum ad primam deseruiens, concedo maiorem, & minorem, loquendo de prima conuersione, & transitu; & nego consequentiam; nam nutritio prima, quæ simpliciter est talis, terminatur ad hoc, vt substantia chyli, quæ mortua est, transeat in substantiam aliti viuã in forma sanguinis: at vero secunda iam non terminatur ad hoc vt absolutè habeat formam aliti, sed ad hoc vt illam perfectiori modo, (saltim accidentaliter) habeat id est ad hoc, vt in parte perfectiori perfectioribus perficiatur accidẽtibus. Non aliter ac licet actio intensiua non sit in specie distincta ab alteratiua, tamen hæc non terminatur ad productionem qualitatis, iam præsuppositæ, sed solum ad hoc vt perfectiori modo participetur à subiecto.

15. Secundum sic procedit: sanguis est à partibus corporis discõtinuatus vtique quia est in venis, tanquam in vase: ergo non informatur anima, cum hæc solum sit actus corporis continui, non discreti. Carmelitæ respondent negando antecedens; nam sanguis (in ipsorum opinione) habet quasdam partes crassiores, (quas Medici *fibras* vocant) cum quibus sanguis continuatur, vt postea ipsæ continuentur venis, & venæ carni: & sic docent Aristotelem, 2. de partibus animalium, cap. 3. solum velle, sanguinem nõ esse immediatè continuatum cum omnibus, vel cum perfectioribus partibus corporis.

Secundo respondetur concedẽdo antecedens, & negando consequentiam; nam anima valet informare partes discretas, dummodo sint contiguæ, & spectent ad integritatem corporis; non aliter ac informat ossa, etiam si nõ sint carni continua.

16. Tertium: sanguis, qui continuatur a vena vsque ad vas, est eiusdem speciei, in corpore, & in vase: sed in vase non informatur anima: ergo neque in corpore.

¶ Respondetur negando antecedens

cedens, nam sanguis, ratione sectionis, amittit dispositiones requisitas vt continuetur cum alio sanguine, in corpore existente; & licet ad sensum videatur continuus, tamen in re non est continuus, sed contiguus: nó aliter ac Brachium aridum, licet videatur continuum alijs partibus, tamen, in re non est continuum, sed contiguum; vnde sicut hoc non informatur anima, nec est eiusdem speciei cum alijs partibus corporis, sic nec sanguis in casu proposito.

17. Quartum sic procedit: Corpus Christi ponitur sub speciebus panis ex vi verborum, vt docet Concil. Trident. sess. 13. cap. 3. sed si sanguis esset informatus ab anima, esset pars corporis, cum anima solum corporis informet partes: ergo deberet poni sub speciebus panis ex vi verborum, & non per concomitantiam, vt definitum est à Concil. Trid. in eodē loco; vtique quia ex vi verborum debet poni, sub speciebus panis, integrum Corpus Christi.

Hoc argumentum (quod valdè extollitur ab aduersarijs) potest retorqueri; nam in omnium opinione, sanguis, siue informatus, siue non informatus ab anima, est pars corporis: ergo in omnium opinione propter hanc rationē debebat poni, ex vi verborum, sub speciebus panis, & non per concomitantiam.

Ad hoc ergo argumentum Carmelitana familia respondet; quod ex vi verborum solum ponitur sub speciebus panis corpus, vt constans ex partibus solidis, non vero fluidis; nam verba consecrationis non vt cumquè significāt corpus, sed corpus per modum cibi, cui aptæ sunt partes solidæ, non vero fluidæ; qualis est sanguis.

Secundo respondetur, sanguinem solum poni sub speciebus panis per concommitantiam; quia corpus, quod ponitur sub speciebus panis ex vi verborum, est corpus quod abstrahit à corpore viuo, & mortuo, cuius sanguis non est pars, cum hic solum sit corporis viui pars.

18. Vltimum desumitur ex D. Thom. 3. p. q. 31. art. 5. ad 1. Vbi postquam asseruit, Christum Dñm non fuisse conceptum ex carne, vel osse Virginis; quia ex tali cōceptione sequeretur aliqua diminutio simpliciter dicta; statim docet solum esse cōceptū ex sanguine purissimo: tum quia ex tali Conceptione non sequitur diminutio simpliciter: tum quia sanguis non est actu, sed potentia pars corporis. Atqui pars corporis in potentia in nullo alio valet distingui à parte corporis in actu, nisi in hoc, quod hęc est actu à forma corporis informata; illa vero potētia tātū: ergo sanguis in opinione D. Tho. non est ab anima informatus.

19. Vt respondeas nota; diminutionem stare dupliciter: primò pro diminutione simpliciter dicta; secundò pro diminutione secundum quid: prima datur, quādo id quod separatur non valet natura-

liter recuperari; vt sunt partes solidę; de quibus dixit Philosophus, *quod à priuatione ad habitum non datur regressus.* Secunda datur, quando id quod separatur valet naturaliter recuperari; vt sunt partes fluidæ, quæ naturaliter valent recuperari.

20. Secundo nota, quod pars valet dici dupliciter in potentia; vel simpliciter, vel secũdum quid. Tunc est in potentia simpliciter, quando est in potentia ad formam corporis; vt est cibus. Tunc verò dicitur in potentia secundũ quid, quando non est in potentia ad formam, sed ad accidentia perfectiora ipsius formæ; vt est sanguis in ordine ad carnes.

21. His suppositis dico, diminutionẽ sanguinis in Virgine nõ inferre diminutionẽ simpliciter, sicut infert diminutio carnis: & ideo Doctores asserunt Christum Dũm fuisse conceptum ex sanguinibus, & non ex carnibus, ne daretur in Virgine diminutio irrecuperabilis, seu simpliciter dicta; nam sanguis, cum sit pars fluida, naturaliter valet recuperari; & sic cum per venæ scisionem separatur sanguis, non dicimus corpus esse diminutum; sicut quando separatur digitus. Ad secundum dico, sanguinem dici à D. Tho. partem in potentia; non quia non informetur ab anima, (quod est esse in potentia simpliciter) sed quia est in potentia in ordine ad partes solidiores; quod est esse in potẽtia secundum quid.

22. Insurges ex eodem D. Tho. 1. p. q. 119. art. 1. ad 3. vbi distinguens humidum radicale à nutrimẽtali, ait; quod radicale participat rationem speciei; quam nutrimentale solum in potẽtia participat; sed humidum nutrimẽtale (in opinione eiusdẽ Doctoris Sancti) est sanguis: ergo hic non informatur ab anima; aliàs non in potentia participaret rationem speciei.

Dico, D. Thomam absolutè non asserere, humidum nutrimẽtale, seu sanguinem esse in potentia ad rationem speciei; sed esse in potentia ad illam participandam ea perfectione, qua participatur ab humido radicali; in quo sensu vera est propositio, iuxta dicta solutione antecedenti.

23. Dices: sanguis non est ethærogeneus, seu non constat ex diuersitate partium, & organorum: cum quælibet pars sanguinis sit sanguis: ergo non informatur anima, quę est actus corporis organici. Respõdetur cõcedẽdo antecedẽs, & negando consequentiam: nam nomine corporis, in definitione posito, non intelligitur à Philosopho materia sanguinis, vel capitis, sed materia omnium partium, quæ ethærogenea est: ex eo autem quia materia sanguinis nõ habeat partes ethærogeneas, nõ sequitur quod non debeat informari anima; nam dissimilares partes, quæ dicuntur organicę, cõponuntur ex similaribus; vt digitus, ex carne, osse, & neruis, ab anima informatis. Vnde sicut anima infor-

mat

mat digitum dissimilarē, & partes similares digitum constituentes, sic informat totum hominem dissimilem, & partes similes, scilicet sanguinē, illum constituentem.

24. Dices: anima in sanguine nullā exercet operationem vitalem, cum nō nutriatur per intus sumptionem: ergo non habet animam. Respondetur cōcedendo antecedens, & negando consequentiam; nam licet non nutriatur per intus sumptionem, quia sanguini nō debentur nec accidētia vitę vegetatiuæ, tamen est in sanguine quoad omnes grad⁹ substātiales, & quoad accidentia gradus corporis, ne in vno corpore assignem⁹ multiplicitatē formarū, absq; necessitate.

QVÆSTIVNCVLA prima incidens.

An dentes, semen, & lac fœmineum informentur ab anima?

§. I.
Resolutio primæ partis.

25. AD primum dico, dētes informari ab anima. Cōstat ex Arist. 2. de generatione animalium, c. 4. vbi ait, dentes esse ossibus similes; sed ossa informātur ab anima: ergo & dentes. Constat ratione. In vno viuente tātum est vnica anima: tum quia esset duplex, & non vnum viuens: tū quia secunda superflueret; sed in dentibus datur anima; vtique quia non nutriuntur & augentur per iuxta positionem, sed per intus sumptionem (quod proprium est formæ vitalis:) ergo in illis est anima totius.

§. II.
Resolutio secundæ partis.

26. AD secundum dico; semen, & lac fœmineum non informari ab anima. Est expressa Philosophi 2. de generatione animalium: & D. Th. in 4. dist. 44. q. 1. ar. 2. quæstiū. 2. Et probatur ratione, qua illam probat D. Tho. in prædicto loco: solum ea, quæ spectant ad integritatē, & perfectionem indiuidui informātur ab anima: sed lac, & semen non ad integritatem, seu perfectionem indiuidui, sed speciei, spectāt, (vt ex se constat:) ergo non informantur ab anima.

Confirmatur: lac & semen sunt excrementa naturæ; sed excremēta, in nullius Doctoris opinione informantur ab anima: ergo nec lac, nec semen illa informantur.

27. Dices. Per nimiam seminis effusionem homines debilitantur: ergo semen spectat ad perfectionem & integritatem indiuidui; aliàs non debilitarentur ex tali effusione. ¶ Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: nam debilitas, quæ dimanat ex nimia seminis effusione, non oritur ex eo quod deficiat indiuiduo aliqua pars, quæ sit ab anima informata; vel aliqua pars spectans ad ipsius

sius integritatem; sed quia ex tali nimia effusione defficit alimentum, quod debebat conuerti in substantiam aliti: nam licet semen non fiat ex alimento, sed ex residuo alimenti, tamen quando datur continua seminis effusio: tunc non solum fit ex residuo alimenti, sed etiam ex alimento, quod necessarium erat ad conseruationem aliti.

28. Replicabis. Spadones sunt homines imperfecti; quia eis defficit semen: ergo hoc spectat ad integritatem hominis. ¶ Respondetur negando causalem: nam non sunt imperfecti, quia eis defficiat semen; sed quia eis defficiunt nerui, qui sunt seminis fabri: vnde pueri non dicuntur deffectuosi, ex eo quod eis defficiat semen, quia eis prædicti nerui non defficiunt.

QVÆSTIVNCVLA secunda.

An vngues, & capilli informentur ab anima.

§. I.

Conclusio.

29. VNgues & capilli informãtur ab anima. Sic Arist. 1. de anima, text. 79. D. Thom. 4. sentent. distinct. 44. q. 1. quæstiun. 2. ad 3. his verbis. *Capilli & vngues nutriuntur, & augentur; & sic patet, quod aliquam operationem participant; quod non posset esse, nisi essent partes ab anima perfecta aliquo modo, & quia in homine non est nisi vna anima, scilicet rationalis, constat quod ab anima rationali sunt perfecta.* Ex his verbis sequens deducitur ratio: vngues, & capilli nutriuntur, & augentur, per intus sumptionẽ, quæ est actio propria formę vitalis, seu animæ; sed in homine v.g. non datur nisi vnica animę (vt probaui quæstiun. antecedenti:) ergo capilli & vngues informantur ab anima totius.

§. II.

Aliquæ obiectiones.

30. DIces. Saliua non informãtur anima, quia est excrementum aggeneratum ex excrementis; sed vngues & capilli aggenerantur etiam ex excrementis: ergo non informantur anima.

Respondetur saliuam aggenerari per iuxta positionẽ, quomodo capilli & vngues non augentur: (vt dixi supra) nec ex eo quod augeantur ex alimento derelicto à partibus perfectioribus animalis, sequitur, quod augeantur ex excrementis simpliciter dictis, sicut saliua; nam hæc aggeneratur ex his, quæ expelluntur à natura: at vero illæ ex his, quæ à natura retinentur. Audi D. Thom. loco supra citato: *ad primum dicendum, quod illæ superfluitates, scilicet ex quibus generatur sudor, & vrina, expelluntur à natura, quasi ad nihilum vtiles; secus autẽ de alijs superfluitatibus; quas sibi natura retinet, ad generationem*

nem capillorum, & unguium, quibus indiget ad membrorum conseruationem.

31. Iterum dices: capilli Christi Domini non sunt informati ab anima; aliàs essent assumpti, & nũquam separati ab illo, iuxta illud, *quod semel assumpsit, nunquam dimisit.* ¶ Respondetur negando antecedens. Ad Theologicum proloquium dico, intelligendum esse de partibus essentialibus, & etiam de integralibus principalibus; nõ verò de alijs minus principalibus.

32. Dices tertio: capilli & vngues non pertinent ad integritatẽ corporis; sed ad eius ornatum: ergo non informantur anima. ¶ Respondetur pertinere ad integritatem corporis, non per se primo, sed per se secundo: nã dantur in composito partes, quæ per se primò desiderantur à natura; & etiam quæ solum per se secundò, seu ad conseruationẽ aliarum desiderantur; huius generis sunt vngues, & capilli; quia vngues desiderantur ad conseruationem manus; & capilli ad conseruationem capitis. Hanc solutionem tradit D. Thom. loco nuper citato.

QVAESTIO VI.

An anima, quoad omnes suos gradus, omnes partes corporis informet;

§. I.

Lux tituli, resolutioque Quæstionis.

1. Ex dictis quæstione antecedenti constat, formam totius informare omnes partes corporis: nunc quod inquirimus est, an hæc sit in omni parte secundum omnẽ rationem substantialem, vel secundum omnes gradus substãtiales: v. g. an anima rationalis tribuat omnibus partibus corporis gradus vegetandi, sentiendi, & intelligendi?

2. Anima secundum omnes suos gradus substãtiales informat omnes partes animalis. Est D. Tho. 1. p. q. 76. ar. 5. ad 3. & art. 8. ad 5. & in 4. dist. 44. q. 1. ar. 2. quæstiun. 2. ad 3. & pro illa stãt omnes Thomistæ; à quibus hac probatur ratione. Gradus animæ (vt diximus in Logica 1. p. disp. 3. q. 2. §. actu à parte rei sunt indistincti: ergo implicat animam vniri materiẽ secundum vnum gradum, & non secundum alium.

3. Et si respondeas: animam non communicare omnes gradus omnibus partibus, ob incapacitatem partium. Contra insurgunt; quia anima est, totalitate physica, in omnibus partibus, & in qualibet parte; sicut albedo est tota, totalitate physica, in niue, & in qualibet parte niuis; sed implicatorium est, quod albedo sit, secũdum hãc totalitatem, in omnibus partibus, & quod non tribuat omnibus, & cuilibet, omnes suos effectus: ergo similiter quod anima non tribuat omnibus & singulis partibus omnes suos effectus, seu gradus substantiales.

4. Sed nec ratio conuincit intentum,

tentum: nec impugnatio soluit argumentum. Ratio primi est; nã ex eo quod anima, absque aliqua distinctione reali, omnes suos gradus contineat, non sequitur quod ratione virtualitatis non valeat esse in vna parte secundum vnum gradum formaliter, & secũdum alium materialiter; vt constat in specie visuali, quæ licet per viam identitatis adunet esse entitatiuum & intentionale, valet esse in aëre in esse entitatiuo & naturali, & non in esse intentionali: ergo similiter ex eo quod anima per viam identitatis adunet omnes suos gradus, nõ sequitur quod omnes omnibus debeat communicare partibus. Ratio secundi est; nam si albedo tribuit omnibus & singulis partibus niuis omnes suos gradus formaliter, est quia omnes & singulæ sunt illorum capaces; quod nõ reperies in omnibus partibus animalis, respectu animæ, vt ait solutio: quare exemplum, & simul impugnatio est petitio principij.

5. Vnde alijs terminis probo conclusionem. Implicat de lege ordinaria, quod forma sit subiecto capaci communicata, & quod ei non tribuat effectum; sed quælibet pars animalis, hominis v.g. habet capacitatẽ ad omnes gradus substantiales animæ: ergo omnes sunt formaliter in omnibus, & singulis partibus. Maior & consequentia sunt certæ. Minorẽ probo: in qualibet parte animalis, seu hominis, datur materia, quæ est naturale & capax subiectum omnium formarũ, quoad omnes suos gradus: (vt constat ex physicis) ergo omnes, & singulæ partes animalis habent capacitatem ad omnes gradus substantiales formæ.

Confirmatur hæc ratio: in qualibet parte hominis datur anima vt intellectiua: ergo quoad omnes suos gradus: consequentia est certa; nam intellectiuus gradus supponit alios: antecedens probatur; anima vt intellectiua non exposcit organum, licet in corpore operetur dependenter ab illo; ergo vt intellectiua solum exposcit materiam; sed in qualibet parte corporis datur materia: ergo in qualibet parte hominis datur anima vt intellectiua.

6. Dices: anima quoad omnes suos gradus est in qualibet parte corporis: ergo similiter in qualibet parte erit quoad omnes potẽtias; cum istę à gradibus profluãt: atqui hoc est falsum: cum potentia visiua nõ sit in omnibus partibus: ergo & antecedens. ¶ Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: nam potentiæ sensibiles exigunt specialem organizazionem, in omnibus partibus non repertam; & sic licet quoad gradus substantiales sit in omnibus, tamen quoad potentias non est in omnibus; cum istæ pro subiecto connaturali specialẽ exigant organizazionem.

7. Vt ergo perfectam notitiam solutionis habeas, nota, totalitatem posse tripliciter supra animam cadere. Primò pro totalitate essentia-

ſenciali. Secundò pro totalitate ætherogenea. Tertio pro totalitate poteſtatiua. Prima totalitas (quæ gradualis eſt) in omnibus eſt partibus: non verò ſecunda, nec tertia: nam ſecunda exigit totalitatem omnium partium, in qualibet parte non repertam: & tertia exigit totalitatem potentiarum; in omnibus partibus non inuentam.

§. II.

Aduerſariorum tela.

8. PRimum deſumitur ex D. Tho. in præſenti, art. 9. ad 14. vbi ſic ait: *quod licet anima ſit vna forma, tamen partes corporis diuerſimode perficiuntur ab ipſa*; ſed partes corporis non valent diuerſimodè perfici ab anima, niſi ſecundum diuerſos gradus: ergo nõ omnes partes ſecundũ omnes perficit gradus. ¶ Reſpondetur D. Tho. loqui non de diuerſitate graduali, ſeu ſubſtantiali, in partibus nõ reperta; ſed de diuerſitate accidentali, ætherogenea, ſeu poteſtatiua, quæ in illis reperitur; cum ab ipſa anima diuerſæ potentiæ in diuerſis dimanent partibus.

9. In hoc ſenſu debet exponi alia authoritas D. Th. q. de ſpiritualibus creaturis ar. 4. ad 14. vbi ſic ait, *caro mea cum carne magis conuenit, ſecũdum rationem ſpeciei, quam caro mea cum oſſe meo.* Nam hic ſolum loquitur de diuerſitate ſpecifica accidentali, ſeu poteſtatiua; non vero de ſubſtantiali, graduali, ſeu eſſentiali.

10. Secundum ſit ſe habet: capilli vegetantur, & non ſentiunt; brachium ſentit, & non intelligit: ergo in capillis datur vegetatiuũ abſque ſenſitiuo; & in brachio ſenſitiuum abſque intellectiuo: ergo anima non omnibus partibus cõmunicat omnes gradus, alias omnibus partibus omnes communicaret effectus.

Reſpondetur concedendo antecedens, & negando conſequentiam, de totalitate eſſentiali omnibus partibus communicata: nam quamplurima deſiderãtur ad hoc vt ſentiat anima in actu ſecundo, quàm ad hoc vt ſit ſenſitiua in actu primo radicali; & ideo ex defectu potentiarum, ex carẽtia organorum, & diſpoſitionum non dimanantium in tali parte, accidit talem partem eſſe ſenſitiuam radicaliter, abſque eo quod defacto ſentiat. Conſtat hoc in organo oculorum, quod (in omnium opinione) participat omnes gradus animæ ſenſitiuæ, & ſic eſt radicaliter auditiuus, abſque eo quod de facto audiat; quia defficit ei organum ad auditum requiſitum.

11. Et ſi quæras, rationem ſeu principium quare in hac parte dimanent hæ potentiæ, & non aliæ: & quare omnes in eadẽ nõ dimanent parte? Dico, hoc dimare ex impoſsibilitate & repugnãtia diſpoſitionum & organorum: nam cum potentiæ exigant determinatas diſpoſitiones & organa, quæ

in omnibus non valent esse partibus, ideo in vna parte corporis datur vna potentia; & in alia, alia; absque eo quod omnes in eadem possint reperiri parte. Ex quo colliges, omnem æthereogeneitatem in animalibus repertam esse accidentalem seu potestatiuam; non vero essentialem, seu gradualem.

12. Dices: ad esse sequitur operari; sed per nos in omnibus partibus anima habet totum esse: ergo debet habere totum operari. Nota hoc argumentum debere solui ab aduersarijs; nam (in eorum opinione) in organo potentiæ visiuæ est tota anima, saltim vt sensitiua; & tamen in tali organo non valet anima exercere omnes operationes sensitiuas; quia licet in illo sit anima vt principium radicale omnium operationum, tamen non est in illo cũ omnibus principijs proximis, od operationem essentialiter requisitis. Et ratio est, quia cum organa potentiæ visiuæ non compatiũtur organa, quæ ad alias potentias sensitiuas requiruntur.

13. Pro omnibus tamen respondetur distinguendo maiorem: ad esse sequitur operari, ad esse affectum potentijs proximis, concedo maiorem; ad esse talibus destitutum potentijs, nego maiorem, & minorem in eodem sensu; negoque consequentiam; nam operari non sequitur ad principium radicale absolute sumptum, sed ad ipsum vt potentijs proximis ornatum, cum ergo potentiæ omnes, deffectu dispositionum non valeãt esse in omnibus partibus, ideo in omnibus non valet anima omnes exercere operationes.

14. Ex quo colliges primo; animam non esse, nec per se secundo, ordinatam ad hoc, vt in omnibus partibus habeat omnes operationes, cum hoc (deffectu organorũ) sit impossibile; sed solum esse ordinatam ad hoc, vt in toto corpore omnes suas exerceat operationes.

15. Colliges secundo; animam per modum essentiæ, seu in genere causæ formalis, esse quoad omnes suos gradus in qualibet parte corporis: at vero per modum naturæ, seu in genere causæ efficientis, solum esse in qualibet parte corporis secundum aliquem gradum, iuxta dispositionem organi requisiti ad talis gradus operationem.

16. Vltimum sic procedit: si anima vt rationalis est formaliter in omnibus partibus hominis: ergo in omnibus sunt intellectus, voluntas, & scientiæ: ergo in vnguibus sũt, ergo vngues intelligũt. ¶ Respondetur cõcedendo duas primas consequentias; & negando tertiã: nam cum potentiæ istæ non depẽdeant ab organo, sed immediate subiectentur in anima, ideo in omnibus sunt partibus: non tamen ex hoc debet sequi, quod omnes partes intelligant: tum quia istæ denominationes proprie sunt totius: tum quia intellectus ad intelligendum (pro hoc statu immersionis) depẽdet à sensibus, in omnibus partibus non existentibus;

& ideo in solo capite fit intellectio: licet scientiæ adquisitæ in omnibus resultent partibus. Constat hoc in corpore replicato, quod naturaliter habet in omnibus locis (in quibus est) omnia accidentia non dependentia à loco, etiam si non sint in omnibus locis adquisita.

QVÆSTIO VII.

Qualis sit continentia vegetatiuæ in sensitiua, & sensitiuæ in rationali?

§. I.

Via ad quæstionem.

1. VT quęstioni viam parem; nota ex dictis in 1. p. logicæ disp. 1. q. §. duplicem esse continentiam; formalem vnam, virtualem aliam. Formalis datur, quando in genere causæ formalis contentum est in continente, secũdum perfectionem, seu rationem ab ipso secũdum se expostulatam; ita vt contentum valeat dici, seu prædicari de continente, (quod in genere causæ formalis agit) quod contentum in eo eodem genere causæ facit. Sic albedo cõtinet colorem. Virtualis datur quãdo cõtinens valet in genere causæ effectiuæ facere, quod contentum in eodem genere præstat; absque eo quod contentum absolute & absque addito valeat de continente prædicari: sic lux Solis continet calorem; & Deus creaturas.

2. Rursus continentia formalis est duplex; formalis tãtum vna; & formalis eminentialis alia. Formalis tantum datur quando contentum est in continente secundum perfectiones & imperfectiones suæ lineæ, absque eo quod sit extractum ad altiorem gradum, seu lineam. Formalis eminentialis datur quando continens, quia altioris ordinis, excludit aliquam vel omnes imperfectiones rei contentæ. Dicitur autem hæc continentia eminentialis, quia in tali perfectione continẽs eminet alias entitates, quæ similes præstant effectus.

3. Secundo nota; quod anima vegetatiua, idemque dicendum est de sensitiua, valet dupliciter accipi: primo in genere, seu secundum rationem communem genericam gradus; in quo sensu est indifferens, vt contrahatur per differentias proprij, vel altioris ordinis: secundo in specie, seu secundum rationem specificam plantę v.g. & in hoc sensu anima vegetatiua non valet contrahi per differentias altioris ordinis; videlicet animæ sensitiuæ seu rationalis. His suppositis, fit.

§. II.

Conclusio.

4. ANima rationalis continet formaliter gradus vegetatiui, & sensitiui generice accep-

ceptos; & eminenter eosdem specifice acceptos: ita vt continentia ad hos gradus generice acceptos sit formalis secundum rationem genericam & communem animæ rationalis; & ad illos specifice acceptos sit eminentialis, secundum rationem vltimam, & differentialem, secundum quam illos contrahit, & perficit; tam intra propriã, quam extra propriam lineam.

5. Prima pars, (quæ Caietano displicet, 2. de anima cap. 3. & 1. p. q. 76. ar. 4.) Constat primo ex D. Th. q. de anima ar. 11. vbi sic ait. *Vnde anima est in omne vegetabilis, sensibilis, & rationalis.* Constat ratione ex autoritate desumpta: nam anima rationalis constituit hominem formaliter vegetatiuum & sensitiuum *vt quod*: tum quia sic admittitur ab omnibus Philosophis: tum quia de homine formaliter prædicatur, quod sit viuens, & animal: tum quia proprietates horum graduum formaliter sunt in homine: ergo anima rationalis secundum rationem communem & genericam est formaliter *vt quo* vegetatiua, & sensitiua; vtique quia id quod cõuenit formaliter *vt quod* composito, seu constituto, debet formaliter *vt quo* formæ constituẽti conuenire: vt videre est in omnibus formis.

6. Dices cum Caietano, rationem esse inefficacem; nam vt anima rationalis tribuat materiæ esse formaliter vegetatiuum, sufficit quod ipsa sit virtualiter *vt quo* vegetatiua; non aliter ac vt tribuat materiæ esse formaliter corporeũ; sufficit quod sit virtualiter corporea. Sed contra est: nam forma virtualiter talis solum tribuit composito, vel materiæ effectum virtualiter talem: tum quia effectus formæ est ipsa forma subiecto cõmunicata: tum quia lux virtualiter calida solum valet constituere Solẽ virtualiter calidum; sed anima rationalis constituit materiam formaliter vegetatiuam, & sensitiuam: tum propter dicta: tum quia alias homo non conueniret vniuoce & generice cum Leone; sicut Sol non conuenit generice, (in ratione caloris) cum igne: ergo anima rationalis est formaliter vegetatiua & sensitiua.

7. Nec exemplum aliquid valet: nam licet anima rationalis nõ sit formaliter *vt quod* corporea, (quia spiritualitati *vt quod* opponitur corporeitas *vt quod*) est tamẽ formaliter *vt quo* corporea: nõ aliter ac licet albedo non sit formaliter *vt quod*, est tamen formaliter *vt quo* alba. Vnde licet anima sit constitututiua corporis materialis, & prædicamentalis, & vt sic formaliter *vt quo* corporea, tamen non est, nec *vt quo*, nec *vtquod* simpliciter materialis, (quidquid verò bis, licet non mente, dicant alij) nam materiale, seu dependentia à materia opponitur spiritualitati; at verò corporeitas *vt quo* abstrahit à materiali & spirituali: nam si contrahitur per differentias gradus vegetatiui, seu sensitiui tantum, est materialis; si vero cõtrahitur

hitur per differétiam spiritualem, est spiritualis. Potestque explicari hoc in vegetatiuo, quod si cōtrahitur per differentias plantæ vel bruti, est materiale; & si per differentiam hominis; spirituale.

8. Nec obstat, quod eliciat efficienter *vt quo* operationes materiales, à materia dependétes; quales sunt gradus vegetatiui, & sensitiui. Nō (inquam) obstat; nam istæ non cōmensurantur cum principio *quo*, videlicet cum anima rationali; sed cum principio *quod*, videlicet cum homine, qui materialis est: non aliter ac receptio quātitatis nō est in parte spirituali hominis, nec formaliter *vt quo*, sed solum in toto composito, quod formaliter quantum est. Nota tamen nos non negare materialitatem *vt quo*, secundum quid, animæ rationali, in quantum materiale secundum quid dicitur, quod est actus materiæ; sed in quantū materiale dicitur, quod est à materia dependens.

9. Secunda pars, videlicet quod anima rationalis, ratione propriæ differentiæ, contineat hos gradus specificè acceptos eminenter, ab omnibus deffenditur & admittitur; & probatur: nam anima rationalis, quoad exercitium operationum, vegetandi, & sentiendi, præstat perfectiori quodāmodo quidquid præstaret anima vegetatiua & sensitiua, quæ intra proprium ordinem determinantur ad certā & determinatam speciem: ergo est eminenter vegetatiua & sensitiua: vtique quia ex hoc modo operandi recte colligitur eminētialis cōtinentia.

Confirmatur: hi gradus in anima rationali sunt in altiori, & perfectiori ordine; cum in operando excludant imperfectiones, quas in speciebus proprijs habent: ergo hi gradus sunt eminenter in illa: nam tunc continentia est eminentialis, quando gradus contentus perfectiori modo operatur; vtique quia operari sequitur ad esse, & operari perfectius ad esse perfectius. Et quod huiusmodi cōtinentia eminentialis cōpetat animæ rationali, ratione propriæ differentiæ, probatur: nam ratio generica non continet eminenter rationes particulares aliarum specierum: ergo anima rationalis nō continet eminenter vegetatiuam & sensitiuam, specificè acceptas, propter rationes genericas vegetatiui & sensitiui, in illa repertas, sed propter rationem differentialē; alias quælibet species reliquas contentas sub eodem genere contineret eminenter, quia continet rationem communem genericam aliarum specierum.

Dicitur autem hæc continentia eminentialis, quia anima rationalis, ratione propriæ differentiæ, præstat modo præstantiori quod vegetatiuum & sensitiuum intra lineas inferiores præstant, ratione suarum differentiarum.

10. Tertia pars (quæ displicet Patri Suarez tract. de anima, lib. 1. cap. 6. num. 7.) videlicet quod vlti-

vltima differentia animæ rationalis non solum perficiat gradus superiores, in gradu seu linea perfectioris; sed etiam intra lineam propriam, probatur efficaciter: operationes vegetatiuæ hominis sunt specie distinctæ ab operationibus vegetatiuis plantę: vtiq; quia virtus nutritiua in homine (quæ ab anima vt vegetatiua dimanat) producit sanguinem, spiritus & carnem, quod in plantis non producit; sed hæc diuersitas specifica operationum, demonstrantium à posteriori diuersitatem specificã animæ vegetatiuæ, non dimanat à vegetatiuo *vt sic*, cum hoc etiam detur in plantis; nec ab anima rationali, vt rationali, vt constituiua est altioris gradus: cum *vt sic* solum sit principium operationis intellectualis: ergo ab ipsa in quãtum perficit gradum vegetãdi intra propriam lineam.

Vnde differentia vltima animæ rationalis, nõ solum extrahit gradus animæ vegetatiuæ & sensitiuæ ad altiorem lineam, sed etiam ipsos intra propriam perficit lineam.

11. Dices: calor, qui est in igne, non est specie distinctus à calore, qui est in animali; & tamen in animali, & non in igne, generat carnem: ergo similiter gradus eiusdẽ speciei valebunt in diuersis diuersa generare. ¶ Respondetur cum Ioanne à S. Thoma in præsenti, q. 1. ar. 5. concedendo maiorẽ & minorem, & negando consequẽtiam: nam calor in animali secundario producit carnem, non in virtutẽ propria, sed in virtute aliti; & sic diuersitas specifica debet relucere in alito, seu in gradibus aliti, & nõ in calore, qui semper specificatur ab actu primario, scilicet à calefactione, quæ semper est eiusdẽ speciei in igne, & in animali: at verò vegetatiuum in animali per se primò generat carnes, non genitas à vegetatiuo plantæ; & ideo hi gradus debent esse specificè diuersi.

12. Ex quo liquet alia ratio, pro secunda parte nostræ assertionis: nam anima rationalis, vt perficiẽs alios gradus, intra propriã lineã, non facit plantam, neque brutum; & tamẽ perficit illos in genere vegetandi, & sentiendi, tribuendo illis peculiarem modum vegetandi, & sentiendi: ergo vltima differentia animæ rationalis eminẽter continet reliquas aliorum graduũ differentias.

13. Si autem inquiras: an anima rationalis sit eminenter, sensitiua & vegetatiua, in genere causæ efficientis; ita vt per modum causæ principalis valeat effectiuè causare animas vegetatiuas, & sensitiuas? ¶ Respondetur cum Aristotele, & D. Tho. affirmatiuè: nam in materia seminis, virtute eiusdem seminis, quod est hominis instrumentum, producit homo antecedenter ad generationem hominis, duas animas, vegetatiuã, & & sensitiuam: quare in materia seminis successiuè tres animæ realiter distinctæ recipiuntur: quia primò recipit vegetatiuam, nõ plan-

tæ;

tæ; & secundo sensitiuam, nō bruti; & tertio rationalem à Deo creatam, & à generante vnitam materiæ. Ratio autem quare istæ animæ debeant præcedere, est; quia anima rationalis, cum perfectissima forma sit, exposcit dispositiones perfectissimas, quas sub forma seminis habere non potest; & sic vt illas consequatur producit animam vegetatiuam, & aliā virtutem perfectiorem, homini etiam subordinatam; vt postea ad perfectiores dispositiones consequendas producat animam sensitiuam, & aliam virtutem perfectiorem, homini etiam subordinatam, ad animæ rationalis vnionem, hominisque generationem.

14. Nec obstat, quod anima rationalis introducatur in materia alimenti, per virtutem nutritiuam, absque eo quod istæ animæ præcedant. Non (inquam) obstat: quia prima productio animæ rationalis longe perfectior est nutritione, quæ solum est extensio animæ rationalis, iam informātis materiam: & ideo prima animæ productio plures & perfectiores exigit dispositiones, vt sub illis valeant fieri organa ad illius primam vnionem requisita.

§. III.

Fundamenta Caietani.

15. PRimū desumitur ex Aristot. lib. 2. de anima, tex. 31. & ex D. Thom. ibidem lect. 5. in fine; vbi docent, animam rationalem continere vegetatiuam & sensitiuam, eo modo, quo quaternarius numerus continet ternariū; seu eo modo, quo quadrangulus continet triangulum; sed istæ continentiæ sunt virtuales, & non formales; vtique quia nec quaternarius est ternarius, nec quadrangulus est triangulus: ergo illa non est formalis, sed virtualis, saltim in opinione vtriusque phylosophi.

Primo respondetur, cum Carmelitis in præsenti, comparationem non esse in modo continendi, sed in continentia: nam licet quaternarius contineat ternarium, & anima rationalis alias animas; tamen modus continendi est diuersus; nā quaternarius continet virtualiter, & anima rationalis formaliter.

Secundo respondetur comparare Philosophum cōtinentiam quaternarij respectu ternarij, continentiæ animæ rationalis, non quātum ad gradus communes aliarū, sed quantum ad rationes differentiales & specificas illarum, quæ (vt dixi) virtualiter sunt in anima rationali.

16. Secundum à ratione sic se habet. Rationale formaliter sumptum non includit formaliter sensibile, nec vegetabile, (vt dixi 1. p. logicæ disp. 1. q. 7. §. 3. n. 12. ergo nec anima rationalis, formaliter considerata, includit formaliter sensitiuam, & vegetatiuam. ¶ Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam:

tiam: nam licet verum sit, quod istæ differentiæ accipiantur *vt quod* à toto composito, & *vt quo* à tota anima rationali, tamen non accipiuntur ab ipsa totaliter, & adæquate, hoc est in ordine ad omnes actus, quos exercet; sed cum præcisione ab intellectu facta; & sic vna differentia non est intra aliam formaliter inclusa. Cæterum anima est actus physicus corporis, & sic physice (absque aliqua præcissione, continet formaliter *vt quo* id quod in composito est formaliter *vt quod*. Vnde anima vegetatiua est inclusa, seu contenta formaliter in sensitiua, & sensitiua in rationali; sicut est genus inclusum in speciebus: nam licet cum præcisione, vt est sensitiua non sit vegetatiua, tamen quæ est sensitiua est physice & formaliter vegetatiua; & similiter quæ est rationalis, est physice & formaliter vegetatiua & sensitiua, in sensu conclusionis.

§. IV.

Fundamenta Patris Suarez.

17. PRimum sic procedit: si gradus vegetatiuus, qui est in Leone, est contractus ad aliquam determinatam speciem, intra lineam propriam: ergo tale vegetatiuum specificum non valet cum sensitiuo gradu, qui postea aduenit, constituere vnum per se: vtiq; quia species attoma intra lineam vegetatiui, non valet vlterius cõtrahi per aliam differentiam, etiã perfectiorem & eleuatiorem; vt constat in gradu vegetatiuo plantæ, qui quia est specifice determinatus in linea vegetatiui, non valet vlterius contrahi per gradum altiorem, videlicet sensitiuum.

Respondetur negando consequentiam: nam in Leone v.g. (vt dixi in conclusione (differẽtia quæ contrahit gradum vegetatiuum, non est distincta, nec adæquate per rationem, à differentia sensitiua; & sic non dantur duæ differentiæ, sed vna, quæ virtualiter, ratione suæ perfectionis & virtualitatis, determinat vegetatiuum, & constituit sensitiuum simul. Ex hoc non sequitur quod differentia sensitiua, (vt contractiua vegetatiui, ad tale vegetatiuum, quod valeat deseruire sensitiuo) non transcendat species plantæ; nam hæ constituuntur per differentias, quæ formaliter sunt intra lineam vegetatiui; at vero vegetatiuum, quod est in sensitiuo solum contrahitur per differentiam, quæ solum virtualiter est intra lineam vegetatiui, iuxta dicta in conclusione.

18. Secundum sic se habet: in Leone v.g. vel datur vegetatiuũ, in quo conuenit, vel in quo differt à plãta: si primum: ergo solum datur vegetatiuum graduale omnibus commune. Si secundum: ergo datur in vna eademque differentia sensitiua duplex differẽtia infima, & attoma, vna intra lineam vegetatiui, & alia intra lineam sensitiui. ¶ Respondetur dari vnum & aliud vegetatiuum, commune formaliter,

maliter, & specificum virtualiter: nam eadem differentia attoma, quæ in gradu sensitiuo est formaliter talis, in gradu vegetatiuo est virtualiter talis.

19. Tertium sic procedit. Si sēsitiuum, quod est in homine, esset per differētiam hominis intra genus sensitiui contrahibile, sequeretur quod potentiæ sensitiuæ, ab illis dimanantes, essent specifice distinctæ; atqui hoc est falsum; vt videre est in potentia visiua hominis & Leonis: ergo sensitiuum graduale, quod est in homine, non est intra lineam sensitiui perfectum.

Respondetur distinguendo sequelam: essent potentiæ specifice diuersæ, potentiæ quæ dimanant à gradu sensitiuo, vt determinato, concedo sequelam; quæ dimanant à gradu sensitiuo, vt generice sumpto, nego sequelam. Nam ex eo quod anima rationalis, secundum suam differentiam attomam, tribuat gradui sensitiuo peculiarem modū sentiendi, nō sequitur quod omnes potentiæ debeant specifice distingui; sed solum quod illæ quæ dimanant ab ipso vt determinato, (vt sunt potentiæ videndi, audiendi, & loquēdi) sint specifice distinctæ. Constat hoc in bruto, in quo potentia augmentatiua non est distincta in specie à potentia augmētatiua plantæ, etiam si nutritiua, & generatiua sint distinctæ; nam illa in planta facit lignum, & in bruto carnem; & ista in planta facit aliam plantā, & in bruto aliud brutum. Et ratio huius est eadem; nam primæ potentiæ dimanant à gradu generico, in quo omnes cōueniunt; & secundæ ab specifico, in quo differunt.

20. Dices. In Angelis à diuersitate specifica principij radicalis, ad diuersitatem specificam omnium potentiarum, valet consequentia: ergo similiter in animabus. ¶ Respondetur concedendo antecedēs: & negando consequentiam: nam cum in Angelis nō dentur nisi duæ potentiæ, scilicet intellectus & voluntas, dimanantes non ab intellectualitate vt sic, seu generice accepta, sed ab ipsa vt determinata ad peculiarem intellectualitatem; ideo diuersitas specifica principij in Angelis debet relucere in omnibus potentijs; at vero in animabus (vt dixi) non omnes potentiæ oriuntur ex ratione specifica, vt tali, in qua differunt; sed aliquæ ex generica, in qua conueniunt: & ideo ex diuersitate specifica animarum non debemus colligere diuersitatem specificam omnium potentiarum.

21. Quartum sic se habet, omnis differentia est ita simplex, vt distinctionem virtualem realem, & formalem per rationem excludat: ergo anima sensitiua, quæ vt talis, est in linea sensitiui, non valet tribuere gradui vegetatiuo specialem modum vegetandi; ni dicas, animam sensitiuam nō trāscendere gradum vegetatiuum.

Respondetur concedendo antecedens, de distinctione virtuali & formali formalitatum; secus vero

expræs-

expræsionum. Vnde hoc quod est esse principium sentiendi, & tribuere peculiarem modum vegetãdi deseruientem sensitiuo, non dimanat ex duplici formalitate; sed ex vna, secundum diuersas expressiones; ita vt formalis distinctio solum se teneat ex parte conceptuum formalium, & non ex parte obiectiui. Ex hoc non sequitur, quod sensitiuum non transcendat vegetatiuum; nam principium sẽtiendi in perfectiori & altiori ordine solum pręcontinet peculiarẽ modum vegetandi.

QVÆSTIO VIII.

An omnes animæ sint indiuisibiles?

§. I.

Veriora suppono.

1. QVod inquirimus est: an omnes animæ sint ita indiuisibiles, vt nedum quoad totalitatem metaphysicam, seu essentialem; sed etiam indiuidualem, sint in tota materia, & in qualibet parte materiæ: non aliter ac Deus ratione immensitatis, est totus in toto vniuerso, & in qualibet parte vniuersi.

2. In hac re, vt certum suppono, animam rationalem esse indiuisibilem, & in extensam formaliter. Constat, tum ex eo quod est spiritualis; tũ ex eo quod nõ educitur de potentia materiæ: tum ex eo, quod si pars animæ rationalis esset in digito, ab scisso digito separaretur cũ ipso aliqua pars animæ, quæ desineret esse, ratione ab scissionis; quod ridiculum est: ergo vt certum tenendum est animã rationalem esse totam in tota materia, & in qualibet parte materię; ac per consequens esse formaliter indiuisibilem & in extensam.

3. Nec contra hoc stat, animam rationalem recipi in materia formaliter extensa, & sic debere esse formaliter extensam; iuxta illud, *omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur.* (Nõ inquam) stat, nam ad hoc vt anima sit materiæ formaliter extensæ proportionata, sufficit quod sit virtualiter extensa: non aliter ac indiuisibile cõtinuatiuum partiuum quantitatis habet, ratione extensionis virtualis, proportionem cum partibus extensis.

4. Nec etiam obstat, quod ex tali indiuisibilitate sequatur, quod secundum se tota moueatur, & quiescat; vt constat in manu mota, dumpes quiescit. Nam licet repugnet, quod eadem res, per se, & ratione sui, moueatur, & quiescat; & similiter quod ex se motib' moueatur contrarijs; nõ tamen quod per accidens ratione diuersarum partium corporis, in quibus per se recipiuntur motus, & quies, prædictas habeat contrarias affectiones: vt constat in Corpore Christi, sub speciebus panis existente, quod propter eandem rationem valet moueri in vna Hostia, & quiescere in alia; & simul descendere

dere in vna, & ascendere in alia.

5. Nec denique sequitur, quod abscisso digito cõfugiat anima ad manum. Non (inquam) nam ex tali abscissione solum sequitur, quod desinat esse in tali parte: sicut ex eo quod vna hostia corrũpatur, non sequitur quod Corpus Christi confugiat ad aliam, neque ad Cœlum; (vbi circumscriptiuè assistit) sed solum quod desinat esse sub illa hostia.

6. Eadem fere certitudine tenendum est, animas plantarum, & imperfectorum animalium, esse extensas, & diuisibiles. Pro intelligentia huius suppositi, nota, animalia imperfecta in præsenti vocari illa, quæ conseruant vitam in partibus, in quibus diuiduntur; vt sunt lacertæ, formicæ, & alia huiusmodi; & quod hæc, & plantæ sint diuisibiles, constat: tum ex eo quod tam plantæ, quam hæc animalia in partes diuisa viuunt: tum quia hæc inter animas infimũ obtinent gradum.

Quare quod difficultatis superest, est scire, an materiales animæ animalium perfectorum sint formaliter extensæ, & diuisibiles? An vero sint solum virtualiter extensæ, & nullo modo diuisibiles?

§. II.
Referuntur sententiæ, & resoluitur Quæstio.

7. IN hac re prima sentẽtia asserit, animas perfectorum animalium, esse formaliter extensas, & diuisibiles. Ita Scotus in 4. distin. 44. q. 1. Toletus hic: Rubius, q. 3. de informatione animæ: Hurtado & alij.

Secunda (quam pro conclusione amplector) docet formas horum animalium esse in extensas, & indiuisibiles: Sic omnes Thomistæ, cum Aristotele pluribus in locis, à Complutensibus in præsenti adductis. Et cum D. Thom. 1. p. q. 76. ar. 8. ad 2. vbi expressè (vt fatetur Rubius) nostram deffendit conclusionem.

8. Vt autem ratione constet nostra resolutio, nota, quod depẽdens à materia in esse, fieri, & cõseruari, seu in substentando, non conuertitur cum entitate diuisibili, & formaliter extensa; nam indiuisibilia, tam continuatiua, quã terminatiua quantitatis dependent à proprio subiecto, in esse, fieri, & conseruari, seu in substentando; cum ab illo sint educta, & tamen non sunt formaliter extensa, & diuisibilia: è conuerso vero spirituale, & independens non cõuertuntur; nam accidentia spiritualia depẽdẽt à proprijs subiectis in esse, fieri, & cõseruari, vt dixi 1. Physic. disp. 4. n. vnica, §. 7. per totum.

9. Hoc supposito, probatur conclusio ratione efficaci: in linea materiali, formæ horum animalium sunt perfectiores omnibus alijs rebus materialibus; sed in linea materiali valẽt dari res indiuisibiles, & formaliter in extensæ: (vt constat ex notabili) ergo potiori iure debet hæc indiuisibilitas concedi

animabus perfectorum animaliũ: cum hæ, vt perfectiores in gradu immaterialitatis, debeant attingere perfectionem, saltim infimã, alterius ordinis superioris; iuxta illud, *supremum infimi* attingit infimum supremi.

Confirmatur: ex eo à posteriori Doctores oppositæ sententiæ inferunt, animalium imperfectorum animas esse diuisibiles, quia in partibus abscissis valent cõseruari; & è conuerso inferunt animam rationalem esse indiuisibilem, & in extensam formaliter, quia non valet in partibus abscissis, nec per breue tempus, conseruari; sed animæ animalium perfectorum nec per breue tempus valẽt conseruari in partibus abscissis: ergo propter eandem rationem debent asserere esse indiuisibiles.

10. Nec valet dicere; quod caput abscissum, ab animali perfecto, saltat. Nõ (inquam valet; quia hoc etiam experimur in capite hominis, absq; eo quod affirmemus, quod illi motus sunt vitales, seu ab anima dimanãtes; cum certum sit, illos ab extrinseca agitatione spirituum vitalium dimanare.

§. III.

Fundamenta opposita sententiæ.

11. PRimum sic se habet: animæ animalium perfectorũ sunt materiales & corporeæ: ergo extensæ & diuisibiles, sicut materia: vtique quia non datur alia ratio, quare animæ imperfectorum sint diuisibiles, & extensæ. ¶ Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam; nam ex eo quod sint materiales & corporeæ, non sequitur quod sint diuisibiles & extensæ, vt constat in indiuisibilibus continui. Ratio autem, quare aliæ animæ imperfectorũ sint diuisibiles, non est, quia materiales, sed quia nimis materiales, & immersæ in materia.

12. Dices: si animæ perfectorum animalium sunt indiuisibiles, quælibet est in tota materia, & in qualibet parte materiæ: ergo quælibet educitur adæquatè ex omnibus partibus materiæ informatæ: ergo eadem forma, secundum idẽ, educitur, & causatur à pluribus partibus materiæ: ergo à pluribus causis materialibus, quod (naturaliter saltim) implicat; cum idem numero effectus non valeat à pluribus eiusdem ordinis causari causis.

Respondetur distinguendo secundum consequens; ab omnibus educitur, & causatur, totalitate effectus, concedo consequentiam; totalitate causę, nego consequentiam: nam licet quælibet pars illam substentet, non tamen valet illam substentare absque alia; & sic ex omnibus partibus, ratione extensionis virtualis, (à forma ratione propriæ perfectionis postulatæ) fit vna causa integra, & adęquata: non aliter ac ex omnibus partibus materiæ hominis fit vna causa receptiua, integra & adæquata;

quata, animæ rationalis; etiam si à qualibet parte materiæ sit tota anima recepta.

13. Secundum sic procedit: quãdo animalia perfecta nutriuntur, vel educitur noua pars formæ; vel educta in prima generatione se extendit ad partem materialem alimenti de nouo conuersi. Si primum: ergo istæ animæ sunt extensæ & diuisibiles; cum ex partibus sint compositę. Si secundum: ergo anima materialis informat, & materiam à qua nullo modo fuit educta, & materiam à qua non depẽdet; quod est cõtra essentiam animæ materialis.

14. Etsi dicas: formam materialem de nouo educi per nutritionẽ de potentia partis conuersæ. Cõtra est: tum quia quod semel est eductum, & causatum, non valet iterum educi, & causari: tum quia alias seipsam educeret; cum non detur aliud principium *quo* talis eductionis, quam ipsa forma nutriti.

Quare hac solutione relicta, respondetur concedendo primam partem dilemmatis; & negando sequelam. Nam quamuis verum sit, quod forma iam educta non valeat per nutritionẽ iterum educi, ex partibus materialibus alimenti, propriè & simpliciter, seu quoad fieri; bene tamen impropriè, & secundum quid, seu quoad conseruari; cum ad cõseuari ab his partibus de nouo per nutritionem dispositis dependeat talis forma. Nec datur inconueniens, in hoc quod effectus productus ab vna causa, sit ab alia conseruatus: nam (vt experimur) calor ab igne productus, conseruatur à Sole. Nec similiter datur incõueniens, in hoc quod idem conseruetur à seipso, in distincta parte materiæ, per maiorem ipsius formæ extensionẽ: nam anima rationalis conseruat seipsam efficienter in distincta parte materiæ, per maiorem ipsius formæ extensionem virtualem.

15. Tertium sic se habet. Omnes operationes harum animarum sũt formaliter extensæ: ergo exigunt principium formalem extensum; sed principium harum operationum est anima: ergo hæc est formaliter extensa.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: nam vt hæ animæ sint principium *quo* operationum, quæ sint formaliter extensæ, sufficit extensio virtualis in illis reperta; vt cõstat: tum in anima rationali, quæ ratione huius extensionis virtualis aliquas valet operationes formaliter extensas producere: tum in Sole, qui ratione continentiæ virtualis, producit calorem formaliter talem.

DISPVTATIO SECVNDA DE POTENTIIS ANIMAE IN COMMVNI.

MVlta sunt, quæ in hac disputatione possent & deberent agitari, si ex superioribus non constarent. Videantur quæ diximus de obiecto in communi in 1. p. logicæ disp. 1. q. 1. per totam: & non prætereamus quæ dicta etiam manẽt in 1. p. Physic. lib. 2. disp. §. n. vbi probatum manet substantiam creatam, per suam metentitatem, non posse esse principium immediatum operationis; vt absque repetitionis vitio, dum taxat, quæ non sunt alibi decissa disputemus.

QVÆSTIO I.

An potentiæ specificentur per actus, & obiecta.

§. I.

Prænotantur aliqua.

1. PRo quæstionis luce nota, potentiam dividi in actiuã tantum, & passiuam tantum; & denique in immanentem; seu actiuam & passiuam simul. Actiua tantum, est illa, quæ effectum ad extra producit, per actionem formaliter transeuntem; vt potentia generatiua. Passiua tantum, est illa, quæ recipit actum ab agente extrinseco; vt materia prima. Actiua & passiua simul, est omnis potentia, quæ actum à se elicitum recipit; vt potentia intellectiua.

2. Nota secundo, obiectum late accipi pro eo, in cuius consequutione quiescit vltimate potentia: nunc transeat ad rationem effectus, quia ab ipsa est productum potentia; vt est obiectum potentiæ generatiuæ: nunc solum maneat in expræsione obiecti, quia ab ipsa potentia solum est quasi speculatiue attactum; vt est obiectum potentiæ visiuæ.

3. Nota tertio, in præsenti non disputari de specificatiuo intrinseco; nam sicut est certum actus & obiecta (vt distincta realiter ab ipsis potentijs) non esse de intrinseca ratione potentiarum, sic etiam est

est certum, non esse differētias intrinsecas ipsarum: cum differētia sit idem realiter cum specie, quam constituit: sed solum de specificatiuo intrinseco; hoc est, de termino *ad quem* habent potentiæ esse specificum.

4. Nota quarto: solam substantiam completam esse ens per se, & propter se; nam substātia incompleta, licet sit ens per se, tamē non est propter se, sed propter compositum, quod constituit; & omnia accidentia sunt entia in alio, & propter aliud, cum sint propter ornatum, & perfectionē substātiæ, quam modificant; cum hoc discrimine, quod alia modificant & ornāt, absque ordine ad aliquod extrinsecum; vt quantitas, figura, color, &c. Et alia modificant in ordine ad aliquod extrinsecum, vt omnes qualitates actiuæ.

§. II.

Referuntur sententiæ.

5. His suppositis, prima sententia asserit, potentias non specificari per actus, & obiecta; licet diuersitas actuum, & obiectorum, sit signum à posteriori diuersitatis specificæ potentiarū, quæ antecedenter ad actus, & obiecta, sunt specificatæ per proprias entitates; sicut res aliæ. Ita Scotus in 2. dist. 16. Paulus Venetus in præsenti, tex. 33. estque cōmunis inter Patres Societatis.

6. Secunda docet, potētias specificari per actus, & obiecta. Ita Aristoteles in præsenti: D. Thom. 1. p. q. 59. art. 4. & q. 77. ar. 3. & q. de Anima, art. 13. Caietanus ibidem; estque communis inter Thomistas; & in illius gratiam, sit.

§. III.

Conclusio.

7. POtentiæ ab actibus, & obiectis speciem extrinsecè accipiunt. Constat ex D. Thom. expressè 1. p. q. 77. art. 1. ad 1. vbi sic ait: *Actus licet sit posterior potentia in esse, tamen est prior in intentione; obiectum autē licet extrinsecum potentiæ, est tamen principium, vel finis actionis*: sed in opinione aduersariorum, ex eo obiectum non valet specificare actionem, & potētiam, quia est posterius actione, & potentia: ergo in opinione D. Th. in qua obiectum est intentione, prius actione, & potentia, potest, & debet illas specificare.

8. Ratione probatur: potentiæ essentialiter respiciūt actus, & obiecta; cum istæ vt accidentia, seu vt substantiæ entia conferantur substantiæ, vt medijs suis actibus consequutionem obiecti: ergo potentiæ extrinsecè specificantur ab actibus, & obiectis form aliter sūptis. ¶ Confirmatur: ex eo substantia specificatur ab actu essendi, quia essentialiter illum respicit; sed potētię essentialiter respiciunt actus, & obiecta; cum potentiæ substantiæ deseruiant in ordine ad ob-

obiecta propria: ergo ab actibus, & obiectis formaliter acceptis specificãtur; cum vnum quodque (secundum D. Iho.) specificetur ab eo, ad quod essentialiter ordinatur.

9. Dices primò: potentiæ recipiunt obiecta per modum finis; sed finis non specificat: cum nulla sit entitas creata, quãtumuis absoluta, & independens ab aliquo extrinseco, quæ non sit gratia alicuius finis facta: ergo ex eo quod potentiæ respiciant obiecta, per modum finis, non sequitur quod debeant ab illis specificari.

Respondetur concedendo maiorem; & distinguendo minorem: finis nõ specificat, vt inspicitur ab alijs rebus, concedo minorem; vt inspicitur à potentijs, nego minorem & consequentiam: nam finis potest bifariè accipi: primò secundum rationem communem: secundum quam mouet agens ad operandum: in qua acceptione omnis res creata (vt benè ait obiectio) dependet à fine, absque eo, quod ab illo specificetur. Secundo secundum rationem specialem, secundum quã spectat ad essentiam, & differẽtiam rei, & in hac acceptione, in qua inspicitur à potentijs, illas valet specificare. Ratio discriminis est; nam finis in prima acceptione solum mouet, & prouocat agens, ad productionem seu existentiam rei; & ideo in hac cõmuni acceptione nõ specificat rẽ, cum non depẽdeat à tali fine, quoad prædicata essentialia, sed solum quoad prædicata accidentalia; videlicet quoad productionem seu existentiam ipsius; at vero finis, in secunda acceptione se habet vt essentiæ, seu prædicatorum essentialium, sine quo entitas respiciẽs non valet intelligi, nec definiri; & sic, in hac acceptione, finis specificat res, ad illum hoc modo ordinatas.

10. Dices secundo: accidentia definitur in ordine ad substãtiam, & relationes in ordine ad terminos: & tamen nec accidentia specificantur à substantia, nec relationes à terminis: ergo ex eo quod potentiæ non valeant definiri, nisi in ordine ad actus, & obiecta, non sequitur quod debeãt ab ipsis specificari.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam. Ad primam instantiam dico, accidentia (præcipuè respectiua) solum respicere substantiã per modum principij indiuidualionis, nõ tamen per modum termini specificationis, vt potentiæ illum respiciunt.

Ad secundam instantiam dico, potentias, & non relationem, specificari à termino: quia hic respectu relationis, solum habet rationem puri termini terminantis, & non specificantis relationis respectum; at verò respectu potentiarum contrarium exercet munus: ni dicas potentias esse relationes prædicamẽtales. Vnde ratio quare specificantur potentiæ ab obiectis, non est, quia non valent abs-

que

que illis intelligi, sed quia (vltra hoc, non habent rationem puri termini terminantis, sed mensuræ determinantis essentiam potēciæ ad tale esse specificum.

11. Dices tertio: actio essentialiter importat ordinem ad terminum; & tamen non specificatur ab ipso: (vt docet D. Tho. 1. 2. q. 1. ar. 1. & 3.) ergo nec potentiæ ab obiectis, etiam si illæ essentialiter importent ordinem ad ista.

Respondetur, actionem posse dupliciter accipi: primò vt condistincta à passione, & motu: secundò vt omnes has expressiones seu formalitates includit, ad integrādam causalitatem agentis; quæ est *ab, in ad*; idest, ab agente, in passo, vt educat terminum. In prima acceptione, certum est, actionē specificari, ab agente, tanquam à termino, in recto cōnotato; & à passo tanquam à termino, in obliquo connotato; sed in hac non respicit essentialiter terminum (vt intēdit obiectio. (At vero in secunda acceptione, ab agente, termino, & passo, in recto specificatur, quia omnes hos respicit terminos, secundum diuersas formalitates, quæ causalitatem agentis essētialiter ad integrant. Vnde Doctor Sanctus (loco supra citato) non in hac, sed in prima loquutus est acceptione. Vide quæ dicta sunt lib. 1. Physicorum, q. 2. §. 3.

12. Inquires: à quo accipiāt potentię distinctionē realem? ¶ Respondetur, illam accipere ab obiectis formalibus, medijs actibus realiter distinctis, attactis. Nam obiectum est prima radix distinctionis; sed in prima radice nō exposcitur tāta diuersitas, ac in his, quæ ex ipsa dimanant; imò quanto magis ab ipsa distant, maiorem distinctionem important: vt cernere licet in anima, quæ cum sit, in genere effectiuo, prima radix operationis, valet eadē ad plures potentias, & habitus, & operationes realiter distinctas, ita vt detur maior multiplicatio habituum, quam potētiarum; & actuum, quam habituum, quia magis à prima distant radice: ergo in obiectis distinctio expræssiua, medijs actibus realiter distinctis, attacta, sufficit ad potentias realiter distinctas: præcipue cum identitas formalitatum seu expressionum, in obiecto, peraccidens, & de materiali se habeat ad potentiarum vnitatem, & distinctionem.

§. IIII.

Aduersariorum tela.

13. PRimum argumentum sic se habet: omnis causa est prior suo effectu, sed actus (idemque dicendum est de obiectis à potentijs causatis) sunt posteriores potentijs; vtique quia sunt effectus potentiarum: ergo non valent ipsas causāre, seu specificare. ¶ Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem: actus sunt potentijs posteriores, in ratione effectus, concedo minorem;

in ratione causæ finalis, seu formalis extrinsece, nego minorem, & consequentiam: nam licet in exequutione, & in genere causæ effectiuæ, potentiæ sint actibus posteriores; tamen in intentione, & in genere causæ finalis, seu formalis extrinsecæ, sunt illis priores; & vt sic valent potentias specificare.

14. Secundum: actus (vt constat ex q. 1 disp. 1. sunt imperfectiores potētijs; & similiter quam plurima obiecta sunt potentijs, & habitibus imperfectiora; vt cernere licet in logica; sed id quod imperfectius est, respectu perfectioris, non valet se habere vt finis; (cum perfectius ad imperfectius non valeat ordinari, nec ab illo dependere) ergo potentiæ, nec ab actibus, nec ab obiectis, valent specificari.

Respondetur, quod licet potētiæ sint in esse rei, & formaliter in esse actus perfectiores actibus secundis; tamen formaliter in esse finis, actus, & obiecta sunt potentijs perfectiora, vt in ordine intentionis valeant potentias specificare. Nec instantia logicæ aliquid valet; nam licet in esse rei logica sit perfectior artificio rationis; tamen in esse obiecti, seu mensuræ, artificium perfectius est logica: & ratio est eadem in vtroque casu: nam sicut artificium logicum non specificat vt rationis; sed vt habēs rationem formæ, seu dispositionis artificiosæ, sic actus, & obiecta, nō specificant potentias in esse rei, seu secundum entitatem, quam in se habent; sed in esse obiecti, seu secundum formalitatem, quam de formali exprimunt. Vide qua dicta sunt, in 1. p. logicæ disp. 1. q. 1.

15. Tertium: habitus, & potētiæ distinguntur specie, etiam si vt operatiui spectent ad cādem qualitatis speciem (vt dixi in præuiamento qualitatis) ergo nequeunt habere idem specificatiuum: atqui habitus specificantur per actus, & obiecta: ergo potentiæ non valēt ab his specificari.

Respondetur distinguendo vltimum consequens; potentiæ non valent ab actibus & obiectis specificari, eodem modo sumptis, cōcedo consequentiam; diuerso modo acceptis, nego consequentiam: nam licet potentiæ, & habitus eadem valeant respicere rationem *quæ* (vt dixi in 2. p. logicæ disp. 1. q. 1.) tamen habitus illam respicit cum maiori determinatione ac potentia; cum ille hanc determinet, non sicut differentia determinat genus (cum habitus sit à potentia realiter distinctus) sed sicut forma determinat in differentiam subiecti. Vnde nota; quod licet potentia, & habitus attingant idē obiectum, per eundem actum, tamen actus prout ab vtroque, est (sicut obiectum) formaliter distinctus.

16. Quartum: eadem potentia respicit obiecta specie distincta; vt cernere licet, in potentia visiua: ergo speciē nō sumit ab illis; aliàs non esset vna, sed multiplex in specie.

Respondetur, distinguendo antece-

teeedens; eadem potentia respicit obiecta specie distincta in esse rei, concedo antecedēs; in esse obiecti, nego antecedens & consequentiam. Nam obiectum nō specificat in esse rei, sed in esse obiecti: in qua acceptione certum est, quod obiectum potentiæ visiuæ habet vnitatem specificam.

17. Dices: potentia eadem valet elicere actus in *esse* intelligibili specie distinctos; vt constat in intellectu, qui elicit actus scientiæ, opinionis, & fidei: ergo potentiæ non specificantur per actus. Respondetur, negando antecedens: nam hæc actuum diuersitas solum est in *esse* rei, respectu intellectus, qui omnes attingit, nō sub rationibus peculiaribus, ad proprios habitus formaliter spectantibus, sed sub ratione *entis*, in qua omnes cōueniunt.

18. Quinto: actio, vt talis specificatur à potentia, à qua d'mãt: ergo hæc non valet specificari ab illa; ni dicas, mutuòse causare in eodem genere causæ formalis extrinsecæ. Propter hoc argumentum, aliqui dicunt actionem non accipere speciem ab agente, in genere causæ formalis extrinsecæ, sed solum in genere causæ effectiuæ: qui modus specificationis est valde improprius, cum sit omnibus rebus creatis communis; & in hoc sensu docent, & D. Tho. loquutum fuisse in loco supra allegato, & actionem posse in genere causæ finalis, seu formalis extrinsecę, potentiam specificare.

Probabilis solutio; veruntamē secundò respondetur, & melius, (iuxta solutionem supra traditā) concedendo antecedens, & distinguendo consequens: potentia non valet specificari ab actione, vt præcise includit expressionem actionis, concedo consequentiam, vt includit formalitates passionis, & motus ad integrantis causalitatem agentis, nego consequēntiam: nam actio non specificat potentiā, nisi vt est consequutio obiecti; in qua ratione omnes includit formalitates, actionis, passionis, & motus; & sic non datur circulus, seu mutua causalitas in eodem genere; nam actio specificata à potentia, est actio vt talis; hoc est, vt precisa à formalitatib° passionis, & motus; & vt specificans potēntiam est actio includens omnes has formalitates.

19. Sextum: proportio, quę datur inter obiecta potentiæ, & inter obiecta habitus eiusdem potēntiæ, debet inter potentiam, & habitum talis potentiæ; sed obiectum habitus est pars subiectiua & species obiecti potentiæ: ergo similiter habitus debet se habere vt pars subiectiua, seu vt species talis potentiæ.

Respondetur negando maiorem: nam potentia determinatur per habitum, tāquam per aliquod accidens realiter distinctum; qualiter obiectum potentiæ non determinatur ab obiecto habitus; cum vtrumque in esse obiecti importet suam speciem infimam, & atto-

attomã: vnde licet in *esse* rei obiectum habit⁹ valeat comparari ad obiectum potentiæ, vt pars subiectiua, & vt species illius, (vt constat in obiectis intellectus, & philosophię) tamẽ in *esse* obiecti vtrũque habet suum esse specificum, infimum, & vltimum; (vt ex dicendis in sequentib⁹ quæstionib⁹ amplius constabit.)

QVÆSTIO II.

An potẽtiarum specifica vnitas debeat accipi ab obiectis in esse rei, vel in esse obiecti consideratis.

§. I.

Referuntur sententiæ, & Resoluitur quæstio.

1. IN hac re prima sententia asserit, potentias solum accipere vnitatem ab obiectis in esse rei consideratis; nunc gaudeant vnitate specifica, nunc generica, nunc solũ analoga. Sic Scotus cum sua schola, & Vazquez cum alijs ex Iesuitana familia.

2. Secunda sententia, (quam pro conclusione amplector) docet potentias, & habitus specificari ab obiectis, in esse obiecti acceptis: Sic Thomistę, cum Angelico Magistro.

3. Sed antequam ratione nostra cõstet cõclusio, nota primo; quod obiectum valet dupliter accipi; & in esse rei, & in esse obiecti: In esse rei dicit perfectionem entitatiuã, seu perfectionem in ordine ad esse, seu existentiam acceptam: at vero in esse obiecti, seu in esse intelligibili, importat rationem secundum quam spectat ad hanc, & nõ ad illam scientiam vnde hæc ratio non accipitur in ordine ad existentiã, sed in ordine ad potentiam, & habitum; (saltim ex nostro imperfecto modo cognoscendi) & sic sicut obiectum constituitur in esse rei, per aliquam formam, sic & in esse intelligibili; nunc hæc forma sit realiter, nunc ratione solum à forma, in esse rei, distincta.

4. Nota secundò; quod sicut in obiecto distinguimus duplicẽ rationem, *quæ*, & *sub qua*, qua constituitur in genere scibilis; sic possumus distiguere duplicem vnitatẽ; vnam, subsequutam ad rationem *quæ*; seu ad formam in esse rei; & aliam ad rationem *sub qua*, seu ad formam in esse intelligibili.

5. His suppositis probatur conclusio: vt constat ex quæstione præcedenti, potentiæ accipiunt vnitatem specificam ab obiectis: ergo obiecta debent habere in se hanc vnitatem; (cum nulla res valeat dare alteri, id quod in se non habet) sed obiecta in esse rei (regulariter loquendo) non habent vnitatem specificam, (vt cernere licet in obiectis intellectus, Metaphysicæ, potentiæ visiuæ &c. ergo hanc vnitatem non accipiunt in ordine ad obiecta in *esse* rei, sed in esse obiecti considerata.

6. Dices: ex dictis quæstione præ-

præcedenti, obiecta intellectus & volūtatis solum sunt realiter, virtualiter, & per rationem formaliter distincta; & tamen tribuunt potentijs non solum hanc, sed realem, & entitatiuam distinctionem: ergo vnitas analoga, vel generica obiecti sufficit ad vnitatem specificam potentiarum.

Respondetur concedēdo antecedens, & negādo cōsequentiā: nā sicut res cōtinens virtualiter aliā, valet producere rem formaliter talem: vt constat in calore solis, qui valet calorem formaliter talē producere; sic distinctio virtualis, in obiectis reperta, valet causare in potentijs realem distinctionē: at verò vnitas analoga, vel generica, cum nullo modo contineat specificam, sic illam non valet causare.

Secundò (& forsan melius) respondetur: vnitatem obiecti entitatiuam, & realem, posse ratione distinctionis virtualis, causare in potentijs distinctionem realem, absque eo quod vnitas analoga valeat causare specificam: nam quod perfectius est, bene potest causare imperfectius; vt constat in potentia reali, quæ valet causare ens rationis; & sic vnitas, (quæ perfectior est distinctione) valet distinctionem causare: At verò è conuerso, vnitas analoga, imperfectior specifica, non valet causare specificam.

§. II.
Argumenta oppositæ sententiæ.

7. PRimum. Intellectus, & metaphysica versātur circa ens, quod solum est vnum vnitate analoga; & potentia visiua circa colores, qui solum genere conueniunt: ergo quælibet vnitas in *esse rei* valet potentiam specificare.

Respondetur distinguendo antecedēs: intellectus, & metaphysica versantur circa ens; & potentia visiua circa colores, tanquam circa rationem *quæ*, & in esse rei, concedo antecedens; tanquā circa rationem *sub qua*, & in esse obiecti, nego antecedens, & consequentiam: nam respectu intellectus omnia entia, in esse rei solum analogicè vna, sunt in esse obiecti vniuocè vna, vnitate specifica & attoma: vt constabit ex dicendis infra, quæst. 4. Idemque dicendum est, de potentiæ visiue obiecto.

8. Dices, cum Patre Vazquez 1. p. disp. 7. cap. 30. ratio formalis *sub qua*, non est à ratione *qua* distincta, sed hæc non habet vnitatem specificam: ergo nec illa. Maior probatur; metaphysica medio actu proprio solum attingit rationem entis: ergo ratio entis, quæ est ratio *qua* metaphysicæ, nō est distincta à ratione *sub qua* ipsius metaphysicæ.

Respondetur distinguendo maiorem: ratio *sub qua* non est à ratione *qua* distincta realiter, cōcedo maiorem; per rationem, nego maiorem: & concessa minori, nego consequentiam: nam licet ratio

tio *quæ* non sit realiter à ratione *sub qua* distincta, tamen non attingitur ratio *quæ* nudè accepta, (cũ, vt sic, ratio *quæ* intellectus sit etiã ratio *quæ* metaphysicæ; sed vt determinata per rationem *sub qua*, propriam huius, & non alterius potentiæ vel habitus.

9. Dices secundo: præcissa ratione *sub qua*, à ratione *quæ*, obiectum manet attingibile à potentia: vt constat in colore, qui ratione sui est visibilis, absque alia formalitate superaddita; & similiter in ente, quod absque aliqua ratione est ex se intelligibile: ergo prædicta ratio *sub qua* prolibito à nobis assignatur.

Respondetur distinguendo antecedens; præcissa ratione *sub qua* manet obiectum attingibile radicaliter, concedo antecedens; formaliter, nego antecedens, & consequentiam: nam præcissa ratione *sub qua* ab obiecto, manet, sicut duo alba absque relationibus; & sic sicut illa non valent, absque relationibus, mutuos exercere respectus, sic nec obiectum absque ratione *sub qua* valet specificare, nec terminare potentiam.

10. Replicabis: ratio formalis *sub qua* potentiæ visiuæ v. g. non est visibilis, cum solum color videatur à potentia visiua; sed id, quod à potentia videtur, est quod specificat: ergo ratio *qua* seu in esse rei, & non ratio *sub qua*, est ratio potentiam specificans visiuam.

Respondetur distinguendo maiorem: ratio formalis *sub qua* potẽtiæ visiuæ, non est visibilis *vt quo*, nego maiorem; *vt quod*, concedo maiorem: & distinguo minorem; id quod videtur specificat, vt stat sub visibilitate, cõcedo minorem; vt a illa præscindit, nego minorem, & consequentiam: nam effectus *vt quod*, (regulariter loquendo) non formis, sed subiectis conuenit, ratione formarum; & sic, si color videtur à potentia visiua, *vt quod*, non est ratione sui, sed ratione visibilitatis; non aliter ac albedo, non ratione sui, sed ratione similitudinis, est *vt quod* similis.

11. Secundum sic se habet: potentiæ visiuæ hominis & bruti sũt specie distinctæ, cum sint proprietates à diuersis dimanantes essentijs: & tamen habent idem obiectum formale, tam in esse rei, quã in esse obiecti: ergo potentiarum distinctio non debet accipi in ordine ad obiecta specie distincta. Idemque argumentum fieri potest, de intellectu hominis, & Angeli. Et idem de appetitu hominis & bruti.

Respondetur negando antecedens: nam potentiæ visiuæ hominis & bruti, nec in esse potentiarũ valent distingui specifice, cum tẽdant ad idem obiectum, tam in esse rei, quam in esse obiecti; (vt bene probat argumentum) nec in esse passionum cum hæ, (in opinione probabili supra disp. 1. q. 7. à nobis tradita) dimanent à gradu sensitiuo, qui rationali, & irrationali est communis. Eademque solutione respondendum est ad instan-

tantiam de appetitu.

12. Nihilominus secundo, & melius, iuxta doctrinam à nobis traditam disp. 1. q. 1. dicendum est cum Caietano, esse distinctas in ratione proprietatum, quia à distinctis dimanant essentijs: non vero in ratione potentiarum, cum idem respiciant obiectum formale in esse rei, & in esse obiecti; vt bene ait obiectio.

Ad instantiam de intellectu Angeli & hominis respondet Caietanus, potentiam intellectiuam Angeli & hominis, non distinguiformaliter in ratione potentiarum; quia respiciunt obiecta sub eadem ratione formali; secus vero in ratione proprietatum, quia proprietates commensurantur cum naturis realiter distinctis.

13. Veruntamen licet hæc solutio sit probabilis; tamen quia laborem exigit explicationis; ideo facilius respondetur, admittendo intellectum hominis & Angeli distinguí in specie, in ratione potentiarum; nam intellectus humanus attingit ens medio discursu, & Angelicus simplici intuitu, qui modus diuersus attingendi infert diuersitatem formalē ex parte obiecti; vt constabit ex dicendis infra, q. 4.

14. Tertium: scientia differt ab opinione, quia illa attingit obiectum per medium demonstratiuum, hæc vero per opinabile: ergo diuersus modus tēdendi, absq; diuersitate obiectorum, sufficit ad distinctionem specificam potentiarum. ¶ Respondetur negando antecedens; nam distinctio specifica non dimanat ex mediis, licet media à posteriori inferant diuersitatem obiecti formalis, à quo, tanquam à prima radice dimanat diuersitas.

15. Quartum: potentia actiua & passiua sunt specie diuersæ; & tamen respiciunt idem obiectum: nam id quod producitur ab actiua, recipitur in passiua: ergo distinctio harum non sumitur ab obiecto, adhuc in esse obiecti considerato. ¶ Respondetur concedendo maiorem & negando minorem, de obiecto in esse obiecti: quia licet terminus actiuæ & passiuæ sit in esse rei idem, tamen in esse obiecti, seu formaliter est diuersus; nam potentia passiua illum respicit per modum passionis, & per modum formæ intrinsece perficientis; at vero actiua illum respicit per modum actionis, & per modum finis seu formæ extrinsecæ: ex quo dimanat formalis distinctio, cum actio, & passio (in omnium opinione) saltim formaliter distinguantur.

16. Quintum, (in q. antecedēti iam insinuatum) sic procedit: actus, habitus, & potentia formaliter respiciunt idem obiectum, in esse obiecti; & tamen specifice distinguntur: ergo distinctio specifica non accipitur ex obiectis, in esse obiecti sumptis: præcipue cum actus & potentia consequantur idē obiectum per eundem actum.

Respōdetur negando maiorē: nam

nam actus, habitus, & potentia licet respiciant idem obiectum in esse rei, nō tamen idem in esse obiecti; cum sub maiori determinatione inspiciatur ab actu, quam ab habitu; & ab habitu, quam à potentia: & quamuis habitus & potentia attingant per eundem actum realem idem obiectum, tamen non per eundem formaliter; quia actus provt à potentia, non tendit in idem obiectum formale, in quod tendit provt ab habitu. Non aliter ac in opinione probabili Thomistarum, licet Deus & creatura concurrant ad effectus creatos eadem causalitate reali, non tamen eadem causalitate formali. Ad id quod dicitur de actu ex vna parte, & de potentia & habitu ex alia; dico hos respicere distinctum formaliter specificatiuū; nam actus, à solo obiecto specificatur; at vero habitus, & potētia, ab actibus & obiectis suam accipiunt vnitatem specificam.

QVÆSTIO III.

An ratio formalis obiectiua, seu sub qua vnius scientiæ valeat contrahi formaliter ab alia alterius scientia.

§. I.

Decisio quæstionis.

1. PRo decisione huius difficultatis aduerte, quod ea, quæ distinguntur secundum rationem, tripliciter valent inter se cōbinari. Primò vt partes cōstituentes eandem integram entitatem; vt animal & rationale. Secūdo vt continens & contentum; vt homo & animal. Tertio vt formalitates disparatæ in eadem entitate realiter adunatæ; vt actio, & passio. Hoc supposito, quod inquirimus est; quomodo rationes *sub quibus* in eadem entitate obiectiua realiter adunatæ, se habeant inter se; idest, an vna valeat se habere vt differētia alterius; vel qualiter ex his modis relatis se habeant.

2. Hoc supposito, dico, rationē formalem *sub qua* vnius scientiæ, non posse formaliter contrahi per aliam alterius scientiæ; sed omnes esse determinatas, in ratione speciei infimæ & attomæ. Probatur. Ratio formalis *sub qua*, seu ratio formalis in esse obiecti, vnius potentiæ seu scientiæ, non est determinabilis per aliam alterius potētiæ, seu scientiæ: ergo quælibet est vna vnitate speciei infimæ. Antecedens probatur: si ratio formalis *sub qua* vnius scientiæ esset contrahibilis per aliam alterius scientię, tanquam per differētiam essentialem, scientia illius rationis *sub qua*, quę se habet per modum generis esset superflua; vtique quia scientia rationis *sub qua*, quæ se haberet per modum speciei, sufficeret ad consequēdum obiectum, sub vtraque ratione, ergo ratio formalis *sub qua* vnius scientiæ non contrahitur per aliam, tanquam per differentiam propriam; sed quælibet est vna, vnitate speciei infimæ.

Confirmatur primo: omnis potentia

tentia est vna, vnitate speciei infimæ: ergo omnis ratio *sub qua* hanc potentiæ præstans vnitatem, est vna vnitate speciei infimę: vtique, quia ex vnitate specificati, rectè colligitur, à posteriori, vnitas specificatiui.

Confirmatur secundò: ad attingendos plures act. subordinatos, sufficit vna potentia: ergo similiter vnica sufficiet ad attingendos diuersos gradus subordinatos, in esse obiecti, si in tali genere subordinantur.

3. Secundò probatur cõclusio: Si ratio *sub qua* obiectum terminat vnam sciẽtiam. v. g. metaphysicam, esset contrahibilis per rationem *sub qua* terminat aliam. v. g. phylosophiam naturalem; ita vt prima ratio sit *ens* in cõmuni, & secunda *ens* in particulari, scilicet *ens mobile* sequeretur sciẽtiam magis determinatam esse absolutè perfectiorem; consequens est falsum; (vt ex se constat) ergo id ex quo sequitur: probo sequelam: illa scientia est absolute perfectior, quæ habet obiectũ absolutè perfectum, *in esse obiecti*; cum ab illo, seu in ordine ad illud accipiat esse specificum; sed obiectum, *quod in esse obiecti* habet rationẽ quasi speciei est perfectius obiecto, quod solum habet rationem quasi generis; (cum species sit genere perfectior) ergo in tali casu, scientia magis determinata esset absolutè perfectior alia magis communi.

(.°.)

§. II.

Argumenta quæ obstant.

4. PRimum sic: sub obiecto intellect. continẽtur obiecta omnia aliarum scientiarum specie distincta: ergo obiectum intellectus non est vnum, vnitate speciei infimæ; alias non contineret sub se plura specie diuersa: ergo ratio *sub qua* intellectus de facto cõtrahitur per rationes *subquibus* aliarum scientiarum. Idem argumentum efformari potest de obiecto sensus communis, quod contrahitur per obiecta sensuum externorum. Et etiam de obiecto metaphysicæ, quod contrahitur per obiecta aliarum scientiarum.

Respondetur distinguendo antecedens; omnia obiecta continẽtur sub obiecto intellectus, in *esse rei* considerato, concedo antecedens; in *esse* obiecti, nego antecedens, & vtranque consequentiam, loquendo de obiecto, in *esse obiecti*: nam licet verum sit, quod obiecta vniuersaliora, solum habeãt in *esse rei* vnitatem genericã, vel analogam, ex se contrahibilem per alias tamen in *esse obiecti* habent vnitatem speciei infimæ. Et quod ex diuersitate, vel conuenientia specifica, in *esse rei*, non valeat inferri conuenientia vel diuersitas in esse obiecti, constat ex eo quod ea, quę maxime distant, maximè in *esse* obiecti conueniunt; vt videre licet in quantitate, & colore,

quæ

quæ sunt primo diuersa, & tamen in *esse obiecti*, respectu potentiæ visiuæ, magis conueniunt, quam color, & sapor, qui *in esse rei* spectant ad eundem qualitatis speciem. Et similiter forma lapidis, in *esse rei*, maiorem vnitatem habet cũ forma cœlesti, quam cum rationali; & tamẽ in *esse obiecti*, respectu materiæ sublunaris, magis conuenit cum rationali, quam cum cœlesti.

5. Secundum argumentum, ad probandum obiectum non esse vnũ, vnitate specifica, infima, & attoma, sic se habet: obiectum potentiæ formaliter, seu in *esse obiecti*, constituitur per rationem, per quã terminat actus potentiæ; sed intellectus, medijs suis actibus, attingit rationes specie diuersas; vtique quia attingit hominẽ, & leonem: ergo eadem potentia nõ respicit obiectum vnum vnitate speciei infimæ, & attomæ.

Respondetur distinguẽdo maiorem: obiectum potentiæ constituitur per rationem, per quã terminat actus, formaliter & *vt quo*, concedo maiorem; materialiter, & *vt quod*, nego maiorem: & distinguo minorem; intellectus attingit rationes hominis, & Leonis, materialiter, & *vt quod*, concedo minorem; formaliter, & *vt quo*, nego minorem & consequentiam: nam obiectum non constituitur in *esse obiecti*, per rationem formalem, quæ *vt quod* attingitur; sed per rationem formalem, *sub qua* attingitur. Vnde si intellectus diuersas, in specie, attingit rationes, tamẽ semper illas attingit, secundum eandem rationem formalem *sub qua*.

QVAESTIO IV.

Ex quo accipietur vnitas, tam generica, quam specifica, rationis formalis sub qua.

§. I.

Prælibantur aliqua.

1. PRoper maximam artium difficultatem.

Nota primo: certamen nõ procedere de ratione formali *sub qua* scientiæ practicæ, sed speculatiuę, cuius obiectum est veritas: de hac ergo principium primum indagamus.

2. Nota secundo: in omni obiecto esse duplicem rationem formalem *sub qua*: terminatiuam, seu intrinsecam vnam, motiuam, seu extrinsecam aliam. Prima, scilicet terminatiua, est proxima & immediata capacitas, quæ datur in obiecto, vt ab hac, & non ab illa scientia percipiatur. Secunda, scilicet motiua, est vehiculum intelligibile, seu lumen, ratione, cuius obiectum est illuminatum, per modum cõditionis, seu quasi complementi, in linea intelligibili, vel in linea, in qua est potentia vel habitus. v. g. visibilitas, respectu potentię visiuæ, est ratio formalis *sub qua* terminatiua; lumen vero est ratio formalis *sub qua* motiua. Hoc idem

idem reperitur in omnibus ſcientijs, in quib' reperitur concluſio, in qua exiſtit intrinſecè ratio formalis *ſub qua* terminatiua; & etiã principium concluſionis, quod ſe habet vt ratio formalis *ſub qua* motiua. Hoc denique reperitur, (quidquid dicãt alij) in ſacra theologia: nam ratio formalis *qua*, in eſſe obiecti theologiæ, eſt deitas, ſub cõceptu ratione Deitatis: ratio vero formalis *ſub qua* terminatiua, eſt diuina immaterialitas; & denique ratio formalis *ſub qua* motiua eſt diuina reuelatio, applicata per teſtimonium Eccleſiæ.

3. Nota tertio; ex D. Tho. 1. p. q. 12. 14. & 54: quod principium intellectualitatis & intelligibilitatis, eſt immaterialitas, ſeu actualitas, accipiẽda ex diuerſa abſtractione à ſuo cõtrario, ſcilicet à materia. Triplex ergo grad' abſtractionis diſtingunt Thomiſtæ, cum D. Tho. opuſculo 7. ſuper Boëticum q. 5. ar. 1. o. ex triplici materia, à qua poſſunt obiecta ſpoliari; videlicet à materia *ſingulari, ſenſibili, & intelligibili*. Tunc enim denudatur aliquod obiectum à materia ſingulari, quando abſtrahit ab omnibus his, quæ ſpectant ad indiuiduationem, ſeu ſingularitatẽ rei. Tunc vero à materia ſenſibili, quando abſtrahit ab omnibus his, quæ ſpectant ad ſenſus, vel ab his quib' ab aliquo valẽt percipi ſenſu. Tunc denique à materia intelligibili, quando abſtrahit à ſubſtantia corporea, à materia prima, à forma materiali, ſeu à re materiali, vt tali, quæ ſolũ valet ab intellectu percipi. Explicatur hæc triplex abſtractio in obiecto metaphyſicæ, quod abſtrahit à ſingularitatibus, & ab omnibus cõditionibus indiuiduantibus; (cum de ſingularibus nõ ſit ſcientia) & etiã à materia ſenſibili; cum ens, vt ſic, nõ ſit perceptibilis ab aliquo ſenſu; & etiam ab intelligibili; cum ens, vt ſic, abſtrahat à ſubſtantia corporea, & incorporea; materiali & ſpirituali.

4. Nota quarto, cum omnibus Thomiſtis; abſtractionem à materia conſiderari permodum cuiuſdam motus, in quo (vt non ſemel dixi in Phyſicis) datur terminus *à quo*, videlicet materia derelicta; & termin' *ad quem*, videlicet actualitas ſeu immaterialitas, à materia abſtracta, ex vi abſtractionis. Vnde ex parte termini *à quo* propriè ſolum accipitur diſtinctio generica ſcibilium; cum omnia quæ continentur ſub vno quoque genere conueniant in hoc, quod eſt derelinquere eundem terminum *à quo*, ſeu eandem materiam: Cæterum ex parte termini *ad quem* poſſunt diſtingui diuerſi modi actualitatis; & penes iſtos diſtinguntur in ſpecie ſcibilia, & ſcientiæ quæ illa reſpiciunt.

5. Nota vltimo; in omnibus his abſtractionib' dari duplicẽ abſtractionem; actiuam, ſeu formalem vnam; paſsiuam, ſeu obiectiuam aliam. Actiua, ſeu formalis eſt actus intellectus ſeparans obiectum ab aliqua ex his materijs: paſsiua,

seu obiectiua est, ipsa actualitas obiecti, quæ à materia separatur; de hac, & non de illa, procedit quæstio.

§. II.

Referuntur sententiæ.

6. IN hac re, prima sententia defendit vnitatem scientiæ accipi ex vnitate principalis obiecti, ad quod omnia alia ordinantur. Sic Pater Suarez. Fonseca, & Scotus cum sua schola.

7. Secunda asserit, obiectum sumere suam vnitatem specificam, in *esse obiecti*, ex principijs, seu ex medijs; ita vt, iuxta eorum vnitatem vel distinctionē, constituantur vel distinguātur sciētiæ. Ita Nauarrete 1.p.contro.9. Ferrara lib.contra gent.cap.16.

8. Tertia affirmat, vnitatem scientiæ accipi ex abstractione radicali, seu ex immaterialitate obiecti, per quā constituitur intelligibile. Sic Caietan. Capreol. Soto, Sanchez, Araujo, & alij Tomistę.

9. Quarta docet, abstractionē radicalem, & etiā media, seu principia, quæ ad obiecti conducunt cognitionem, spectare ad vnitatē scientię; cum hoc discrimine, quod ab abstractione radicali accipit vnitatem genericam, & à principijs seu medijs specificam. Ita Complutenses in præsenti.

10. Quinta, (quæ ad tertiam reducitur) sentit, vnitatem, tā genericam, quam specificam, rationis *sub qua*, seu obiecti *in esse obiecti*, (& consequenter scientiarum) accipi ex immaterialitate, seu abstractione illius: est communis inter Thomistas, & in huius obsequium fit.

§. III.

Conclusio.

11. VNnitas, tam generica, quā specifica rationis formalis *sub qua*, seu *obiecti in esse* scibilis, tribuētis scientijs specificationem, accipitur ex immaterialitate, seu abstractione passiua obiecti. Prima pars ferè ab omnibus admittitur, & cōstabit ex secūda.

12. Secunda verò, scilicet quod à tali abstractione accipiat obiectū, in esse obiecti, vnitatē, specificā: constat primò, ex D. Thom. 1. post c. 41. vbi post quam docuit, scientias non accipere vnitatē ex obiectis, in esse rei, sed in esse obiecti, ait: *Distinguūtur autē genera scibiliū, secundū modū cognoscendi: vnde aliud genus scibilium est corpus naturale, & aliud corpus mathematicum; & vtrumq; horum generū distinguitur in diuersas species scibilium, secundum diuersos modos, & rationes cognoscibilitatis.* Ergo iuxta mentem D. Th. vtraq; vnitas debet reduci in cognoscibilitatem, seu immaterialitatem obiecti.

13. Ratione verò probatur: obiectum, vt scibile, sumit vtramque vnitatem, à formalitate, per quam constituitur in tali linea; sed per abstractionem à materia, seu (vt formalius loquar) per immaterialitatem, seu actualitatem abstractam, constituitur in linea scibili;

seu

seu intelligibili: tum quia secundum Philosophum, *in tantum aliquid est cognoscibile, seu scibile in quantum est immateriale, seu in actu.* Tum quia ex eo Deus est summe intelligibilis, quia est summè immaterialis, (vt docet D. Thom. 1. p. q. 12. art. 1. & q. 14. art. 1. ergo ab immaterialitate accipit obiectum vtramque vnitatem.

Confirmatur: secundum Diuu. Thom. locis relatis, principium intelligibilitatis, & intellectualitatis, idem est; sed ab immaterialitate potentia est genericè & specifice intellectualis: ergo ab illa est obiectum, genericè, & specificè intelligibile, seu scibile.

Confirmatur secundò: ex eo Angelici (in omnium opinione) carent omni materia, quia sunt adæquatè intellectuales, & intelligibiles: ergo ex abstractione prouenit intelligibilitas; aliàs nõ recte esset illata consequentia à Doctoribus, 1. p. q. 50. art. 5.

Confirmatur tertio: ex eo homines sunt in infimo gradu intellectualitatis, & intelligibilitatis, quia constant materia: ergo materialitas obstat intelligibilitati.

14. Secundò, specialiter contra Carmelitas probatur conclusio: principia conclusionem, seu obiectorum accipiunt totum suum esse genericum, & specificum ab obiectis, seu à conclusionibus, & non è contra cum principia sint conclusioni, & non conclusio principijs ordinata: ergo obiecta, seu cõclusiones, independenter à principijs habent, in genere scibili, vtramque vnitatem: aliàs illam nõ possent principijs communicare.

Confirmatur: omnis res accipit toti suum esse adæquatum; idest, suum esse genericum, & specificũ, à primo principio illius generis, in quo est; sed in genere scibili obiecta sunt prima principia scientiarum, & principiorũ; cum sint mensura cuiuscumque rei ad ipsa ordinatæ: ergo totum esse principij & scientiarum debet accipi ad obiectis; etiam si principia specie distincta sint signa à posteriori diuersitatis specificę, in obiectis repertę.

§. IIII.

Argumenta quæ conclusioni obstant.

15. PRimum sic se habet, scientiæ specificè diuersæ valent esse sub eadem abstractione; vtique quia sub abstractione ab omni materia, inuenies Theologiã, metaphysicam, & logicam, & similiter sub abstractione à materia sensibili, Geometriam, & Arithmeticam: & denique sub abstractione à materia singulari, Philosophiam & Medicinam: imò diuersas partes eiusdem Philosophiæ, nempe tractatum de Cœlo, de Generatione, &c. ergo ex abstractione nõ valent scientiæ vnitatem, vel distinctionem accipere.

Respondetur distinguendo antecedens, scientiæ specifice diuersæ valent esse sub eadem abstractione, ex parte termini *à quo*, vel sub eadem abstratione generica,

concedo antecedēs; ex parte termini *ad quem*, vel sub eadem abstractione specifica, nego antecedens, & consequentiam: nam licet omnia obiecta harum scientiarum cōueniāt æqualiter in abstractione ex parte termini *à quo*; tamen ex parte termini *ad quē* dātur diuersę actualitates, & immaterialitates, secundū quas scientiæ valent specificari, intra idē genus immaterialitatis. Vnde licet obiecta Theologiæ, Metaphysicæ, & logicæ, cōueniant in hoc quod est abstrahere ab omni materia, tamen Theologiæ obiectum abstrahit negatiuè ab omni materia; quia Deus, vt purus actus, est expers toti' potentialitatis, & materialitatis: at vero obiectum Metaphysicæ abstrahit, tam negatiue, quā positiue, ab omni materia; cū intra latitudinem obiecti Metaphysicæ dentur, & obiecta seu entia quæ positiue sint in materia, & obiecta seu entia quibus materia repugnet: Logicę vero obiectum, licet abstrahat negatiuè ab omni materia, tamen ratio abstracta est minima actualitas secundarum intētionū; (vt dixi in 1. p. Logicæ. Disp. 1. q. 1. §. vltimo) vnde ex parte termini *ad quē* absq; dubio distingūtur obiecta Theologiæ & logicæ; nā Theologię obiectū abstrahit negatiuè ab omni materia, ratione sūmæ perfectionis; at vero logicæ ratione summæ imperfectionis.

16. Alij vero, cū Magistro Hortiz, distingunt hęc obiecta ex parte termini *ad quē*, quatenus Deus, vt obiectū Theologiæ exigit attingi sub lumine supernaturali diuinæ reuelationis; & ens, vt obiectum metaphysicæ sub lumine naturali vniuersalissimo: & denique secunda intentio, vt obiectum logicæ, sub lumine etiam naturali, magis determinato.

17. Simili modo respondendum est ad secundam instantiam: nā licet Geometria, & Arithmetica æqualiter conueniant in abstractione termini *à quo*, scilicet à materia sensibili; tamē specie distinguntur ex parte termini *ad quem*; nam Arithmetica agit de quantitate discretra, quæ minus concernit intelligibilem materiam, quā quantitas continua, de qua disputat Geometria.

Eodemque modo respondendū est ad tertiam instantiam: nam licet medicina & Philosophia disputent de obiectis, quæ abstrahūt à materia singulari, tamē ex parte termini *ad quem*, distinguntur specie: nā corpus, vt sanabile, de quo agit Medicina, magis concernit materiam sensibilem, quam corp' naturale, seu mobile, de quo disputat Philosophus.

18. Ad quartam instantiam, aliqui respondent cum Carmelitis, Philosophiam habere eandē vnitatem specificam, quoad omnes suas partes. Sed vt vetiorem amplector contrariam sententiam, asserentem, habere vnitatem genericam, & distinctionem specificam in suis partibus. Ita Caietanus, & cum eo fideliores discipuli

D.

D. Thom. Et constat ex eo quod licet omnes partes Philosophiæ cõueniant ex parte termini *à quo*; nõ tamẽ ex parte termini *ad quem*: nam ens incorruptibile, (de quo disputant libri de Cœlo) maiorem habet actualitatem, & minus cõcernit materiam sensibilem, quam ens corruptibile: (de quo disputant libri de Generatione, & octo libri Physicorum) vtique quia ens incorruptibile solum est accidentaliter mobile, (vt dixi in quæst. Proœmiali Physicorum) at vero ens corruptibile, ne dum accidentaliter, sed substantialiter est mobile: ergo ex parte termini *ad quem* sunt obiecta horum librorũ specie distincta; & consequenter prima principia harum partium sunt etiã specie distincta: cum implicatorium sit, quod obiecta sint specie distincta, & quod principia conducẽtia ad cognitionem illorum non sint specie distincta.

19. Et quod hæc sit D. Thom. mẽs, constat ex lib. 1. Poster. lect. 41. vnde distinguens triplex genus scibilium, sic fatur: *Vnde aliud genus scibilium est corpus naturale, & corpus mathematicum, & vtrũque horum generum distinguitur in diuersas species scibilium.*

In quibus verbis expressè docet, corpus naturale, seu mobile, quod specificat Philosophiã, diuidi in diuersas species: ergo Philosophia, quoad omnes suas partes, (in opinione D. Tho.) est genericè vna, & specifice multiplex.

20. Dices: in obiectis abstrahẽtibus ab omni materia non potest dari diuersitas; nam nullam materiam valet magis, vel minus concernere, cum ab omni abstrahant: ergo obiecta ab omni abstrahẽtia materia non solum gaudẽt eadem vnitate generica, sed etiam eadem specifica.

Respõdetur, (iuxta dicta) prædicta obiecta habere omnem abstractionem imaginabilem ex parte termini *à quo*; non tamẽ ex parte termini *ad quem*, (vt constat ex dictis in solutione argumenti. Explicatur hoc exemplo materiali: nam licet Petrus, & Paulus valeãt æqualiter conuenire in hoc quod est esse extra gimnasiũ; tamẽ possunt diuersificari in accessu ad Ecclesiam; tamen potest Paulus magis quam Petrus accedere. Haud aliter in præsenti.

21. Secundum sic procedit, ad probandum vnitatem, seu diuersitatem specificam obiectorum, & scientiarum, non accipi ex abstractione, sed ex principijs. Obiectũ scientiæ solum est ab obiecto opinionis distinctum, quia illud est illuminatum à principio demonstratiuo; istud verò, à principio probabili, & formidoloso: ergo vnitas, vel distinctio specifica debet accipi ex principijs, specificè vnis, vel diuersis: cum eadem cõclusio, seu obiectum valeat per prædicta principia cognosci, & illuminari.

Respondetur distinguendo antecedens; quia principia sunt distincta, obiectum est distinctum, à posteriori, & tanquam à signo, cõ-

cedo antecedens; à priori, & tanquam à ratione formali, nego antecedens, & consequentiam: nam licet verum sit, quod ex distinctis, in specie, principijs colligatur diuersitas specifica obiecti, tamẽ radix prima aduersitatis, seu vnitatis est obiectum, quod in genere scibili est prima mensura, ad quam omnia alia illius generis reducuntur. Vnde tota vnitas vel diuersitas scientiarum, actuum, & principiorum debet resundi in obiecti vnitatem, vel diuersitatem. Et sic licet idem obiectum *in esse rei* valeat attingi à scientia, & ab opinione, non tamen *in esse obiecti*. (vt latè dixi in discursu disputationis, & huius quęstionis) Cum hac doctrina respondẽdum est ad aliquas authoritates D. Tho. à Carmelitis adductas in fauorem suæ sententiæ.

22. Tertium sic procedit: vnitas, seu diuersitas obiectorum accipitur ex potentijs, seu ex scientijs; ergo potius accipiunt obiecta vnitatem specificam, in esse obiecti, à potentijs, quam è conuerso. Probatur antecedens: color, v.g. qui est potentiæ visiuæ obiectum, est visibilis, seu in esse obiecti, per visionem potentiæ visiuæ: ergo tale obiectum transit ad lineam intelligibilem per potentiã, vel per actum potentiæ: ergo hoc accipit vnitatem & distinctionem à potentia, & non è conuerso.

Respondetur negando antecedens: ad probationem nego etiam antecedens: nam licet obiectum in *esse obiecti* explicetur in ordine ad potentiam, tamen non constituitur in esse talis, per denominationem extrinsecam, sumptam à potentia, vel ab actu potentiæ; nã *visibilitas* (quę assignatur à Doctoribus, vt ratio formalis *sub qua* potentiæ visiuæ) semper est colori intrinseca, cum ipse, ex se, sit (ratione propriæ entitatis) intrinsece visibilis, antecedenter ad denominationem extrinsecam potentiæ; & sic antecedenter ad illam est obiectum, in *esse obiecti* constitutum: & similiter est scientia, seu potentia ab ipso specificata, cum antecedenter ad actum, à quo dimanat denominatio, sit iam potentia in tali specie constituta.

LIBER

TERTIVS DE ANIMA.

PHilosophus, in hoc libro, præter quinque sensus externos, alios internos, ad potentias animæ pro hoc statu necessarios, assignat; videlicet, sensum communem, imaginatiuã, seu phantasiam, æstimatiuam, memoriam, seu reminiscẽtiam. De omnibus his disputat in præsenti; & præcipuè de potentijs animæ rationalis.

§. VNICVS.

Breuis sensuum internorum expositio.

1. SEnsus communis, seu officina communis, vbi omnia sensata externorum sensuum recipiuntur, & percipiuntur; (iuxta illud, *quæ sunt dispersa in inferioribus, sunt collecta in superioribus*) est ab externis sensibus realiter distinctus; cum à natura sit destinatus ad percipienda omnia sensibilia, quæ ab externis percipiuntur; non sub rationibus peculiaribus, vel sub rationibus *sub quibus* percipiuntur ab externis, sed sub ratione communi, & vniuersaliori: non aliter ac noster intellectus, sub ratione communi & vniuersaliori cognoscit ea, quæ sub peculiaribus rationibus ab alijs scientijs inferioribus sunt cognita.

2. Post sensum communem, immediate sequitur alius, qui latinè imaginatiua, Græcè verò Phantasia nominatur: hic, vt à cõmuni cõdistinctus, est destinatus ex natura sua ad obiecta sensibilia, in absentia obiectorum, percipiẽda. Ratio autem, quare phantasia, & non sensus communis, species obiectorum in absentia illorum conseruat, est quia sensus communis, ex natura sua est magis humidus, quàm siccus; & è contra, imaginatiua seu Phantasia, est magis sicca, quam humida; & ideo ille solum percipit obiecta præsentia, ista verò absentia. Vnde sequitur, quod sensatio facta à communi, sit *intuitiua*, & facta à Phantasia sit *abstractiua*; cum illa sit solum rei præsentis, hæc vero absentis, vt somniãtes experiuntur.

3. Post Phantasiam immediatè sequitur æstimatiua, (à Phantasia

& ab alijs internis distincta sensibus) quia percipit sensata, insensato modo: & ratio est, quia *Phantasia* solum percipit colorem, figurã, & alia huiusmodi, hominis vel Leonis: at vero *æstimatiua* percipit conuenientiam, vel disconuenientiam obiectorum; non quia in illa detur duplex species, vna qua repræsentetur obiectum, & alia qua repræsentetur conuenientia, vel disconuenientia illius; sed quia eadem specie, qua repræsentatur obiectum, percipit illius conuenientiam, vel disconuenientiam: nam eadem specie, qua ouis v.g. apprehendit lupum, percipit etiam discõuenientiam, per antipathiam, quam à natura habet æstimatiua ouis cum lupo: & similiter eadem specie, qua agniculus percipit genitricẽ, percipit etiam simpathiã, & conuenientiam, quam cum propria æstimatiua habet.

4. Denique, post æstimatiuam, immediatè sequitur memoria, seu reminiscentia, ab æstimatiua, & ab alijs sensibus realiter distincta: vel quia æstimatiua solum in præsentia obiectorum cognoscit res sensatas, modo insensato, & memoria in absentia, sicut Complutenses volunt; vel (vt verius loquar cũ alijs) quia hęc seruat species æstimatiuæ, absque eo quod ab illa cognoscantur: nõ aliter ac memoria, in nobis seruat species intelligibiles, vt nõ ab illa, sed ab intellectu cognoscantur.

5. Nota tandem, quod isti sensus, tam in nobis, quam in brutis, easdem obtinent functiones; licet in nobis, vt in brutis, non sistat perceptio obiectorum in cognitione æstimatiua: sed vlterius transeat ad perfectam nostri intellectus cognitionem.

DISPV-

VNICA DE INTELLECTV HVMANO.

DIsputatio hæc procedit de intellectu; prout est potentia animæ rationalis; & non de intellectu in communi, qui abstrahit â Diuino, Angelico, & humano; quia secundum hanc abstractionem, ad metaphysicum, & non ad Philosophum, illius spectat indagatio.

QVÆSTIO I.

Quod nam sit nostri intellectus obiectum proportionatum?

§. I.

Lex tituli, & quæstionis, cum aliquibus prænotatis.

1. NOstri intellectus obiectũ ex duplex adæquatũ, specificatiuum, se extensiuum, vnum; proportionatum, motuum, seu intensiuum, aliud. Primum est, quod comprehendit omnem latitudinẽ attingibilem à potentia intellectiua; nunc sit viribus naturæ, nunc viribus gratię: de hoc namque verificatur illud repetitum, *nulla potentia valet se extẽdere extra sphæram sui obiecti.* Secundum est, quod pro determinato statu, iuxta vires ei in tali statu debitas, cognosci, seu percipi valet à potentia. In præsenti autem non disputo de obiecto adæquato, seu specificatiuo; quia de hoc eodem modo est philosophandum, ac de obiecto metaphysicæ, vide quæ dicta sunt in 2.part. Logicæ, disp. 1.q. 19.

2. Solum de obiecto proportionato, circa triplicem statum, in quo valet naturaliter reperiri intellectus; videlicet immersionis in corpore, separationis ab illo, & denique beatitudinis: communiter nõ excitatur difficultas de hoc tertio statu; & loco ipsius assignãt Doctores alium, scilicet, *secundum se*: sed non bene: tum quia vt docet D. Tho. 1.p.q. 14.art.4. Intellectus noster, vt abstractus ab statu separationis, & immersionis, non habet obiectum proportionatũ: tum quia secundum se solum dicit

coap-

coaptationem essentialem, cui non correspondet obiectum proportionatum, sed solum specificatiuum, (vt ex dicendis infra constabit) tum quia obiectum proportionatum correspondet quantitati virtutis, intellectui in statu secundum se non conuenienti; nam hæc accidentaliter, & non essentialiter, ei conuenit.

3. Nota secundo, ex sapientissimo Magistro Curiel. 1. 2. q. 5. de Beatitudine, dubio vltimo; quod in intellectiua potentia potest duplex ratio distingui; vna per modum coaptationis, & alia per modum quantitatis virtutis. Prima, scilicet coaptatio essentialis, obiecto correspondet specificatiuo, & est facultas ad omne cognoscibile attingendum; secũdum, scilicet quantitas virtutis; (ab alijs nominata efficacia virtutis; & ab alijs efficacia intensiua) obiecto correspondẽs proportionato, est facultas, qua iuxta propriam perfectionem, seu intensionem, vt duo, vel vt quatuor, attingit perfectionem, seu intensionem obiecti, vel qua valet elicere actus tantæ perfectionis, v. g. vt duo, vel vt quatuor. Vnde ad obiectũ, quod habet perfectionem vt vnũ, necessaria est quantitas virtutis vt vnum; & ad obiectum, quod habet perfectionem vt quatuor, necessaria est quanticas virtutis vt quatuor: nunc hæc sic realiter distincta à coaptatione essentiali intellectus, (vt videre est in quantitate virtutis requisita ad actus & obiecta supernaturalia) nunc solũ per rationẽ; (vt videre est in quãtitate virtutis requisita ad actus & obiecta naturalia.

4. Et si inquiras; ex quo dimanet perfectior quanticas naturalis in vno indiuiduo, quam in alio. Respõdetur, dimanare ex perfectiori organo, species nobiliori modo ministrante. His suppositis sit.

§. II.

Prima conclusio.

5. Obiectum proportionatũ nostri intellectus pro hoc statu immersionis, est omne ens, quod potest repræsentari per species acceptas à sensibus; nunc medijs his percipiantur perfecte vel imperfecte, explicite aut confuse, in se vel ad proportionem aliarum rerum. Constat primo nostra conclusio, (quidquid dicant Complutenses) ex D. Tho. 1. p. q. 84. ar. 7. vbi loquẽs de obiecto proportionato nostri intellectus, pro hoc statu, sic fatur. *Intellectus humanus, qui est coniunctus corpori, proprij obiectum est quidditas, siue natura in materia corporali existens; & per huiusmodi naturam visibilium rerum, etiam inuisibilium aliqualem cognitionẽ ascendit*: ergo secundum mentem D. Th. non solum quidditas & essentia rerum sensibilium, sed etiã singulare, & quidquid valet repræsentari per species sensibiles; imò & res inuisibiles aliqualiter cognitæ, spectant ad obiectum proportionatum

portionatum nostri intellectus.

Et quod singulare etiam spectet ad obiectum proportionatum nostri intellectus, constat ex ipsis verbis D. Thom. vbi non solum quidditatem adstruit pro obiecto, sed ipsam, vt in materia existentē; hoc est, vt indiuiduam, cum per hanc materiam sit quidditas materialis singularis, & indiuidua.

6. Constat ratione: nam in omnium opinione, illud est obiectum proportionatum alicuius status, quod pro illo valet cognosci, seu percipi à potentia; sed intellectus noster, pro hoc statu, valet intuitiuè percipere omnia entia sensibilia; & abstractiuè, per has entitates sensibiles, valet substātias spirituales percipere; imò & ipsum Deum, quoad *an est*: (vt fuit naturaliter cognitus à Philosopho) ergo omnia hæc debent assignari pro obiecto proportionato nostri intellectus, pro hoc statu.

7. Dices primò: substantias spirituales nō esse obiectum proportionatum nostri intellectus, pro hoc statu; quia mediātè, & in alio prius cognito, hoc est, quia cognitione confusa, & ad proportionem rei materialis sunt cognitæ; quod obstat ad rationem obiecti proportionati: præcipuè cum hoc debeat esse obiectum motiuū potentiæ.

Contra est ratio apposita; nam in omnium Doctorum opinione, (vt constat ex notabilibus) obiectum proportionatum est, quod in determinato statu attingitur à potentia, iuxta vires potentiæ in tali statu debitas; sed (vt ait Apostolus) *inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*: ergo inuisibiles & spirituales substantiæ, saltim abstractiuè spectant ad obiectum proportionatum nostri intellectus, in hoc immersionis statu. Nec eis auet ratio obiecti motiui; nam licet verum sit, quod substantiæ separatæ cognoscantur per species rerum materialium, & quod sit aliud obiectū prius cognitum, tamen ipsæ substantiæ spirituales, media tali specie, habent respectu cognitionis, abstractiuè, saltim per se secūdò rationem obiecti motiui.

8. Ex quo colliges, quam absque veritatis prætextu Thomistæ docent, cum Complutensibus, solas quidditates sensibiles & materiales esse obiectum proportionatum nostri intellectus, pro hoc statu; quia sentiunt singularia materialia non cognosci per species proprias, sed per speciem quidditatis cōuertētis se ad phantasmata. Nā licet hæc opinio esset vera, adhuc non rectè philosophantur; quia intellectus, pro hoc statu, consequitur cognitionem, propriam, clarā, & quidditatiuam indiuidui materialis; (vt ipsi fatentur, & experientia demonstrat) ergo intellectus habet, pro hoc statu, vires efficaces ad perfectam indiuidui materialis cognitionem: ergo singulare materiale est obiectum proportionatum intellectus, pro hoc statu, cum hoc solum sit necessa-

rium ad obiecti proportionati rationem.

Contra est secundo: nam in opinione horum Doctorum, (quos impugnamus) substantiæ materiales non habent species proprias, per quas cognoscantur; cum cognoscantur ab intellectu nostro, pro hoc statu, per species accidentium materialium; & tamen in ipsorum opinione, spectant ad rationē obiecti proportionati, quia quidditatiue cognascuntur: ergo similiter singularia materialia, quidditatiuè cognita ab intellectu, pro hoc statu, debent intrare ad rationem obiecti proportionati, etiam si cognoscantur in alio, scilicet in specie quidditatis sensibilis. Et quod ad cognitionem quidditatiuam non obstet species aliena, per se primo aliud repræsentans obiectum, constat in intellectu diuino, qui perfectissime & quidditatiue cognoscit creaturas: etiā si in alio, scilicet in essentia diuina, sint cognitæ.

9. Pro aduersarijs nullum inuenio argumentum, quod eis faueat, nec quod inefficaciter impugnet nostram conclusionem, nec rationem: & sic solum proferam auctoritatem D. Th. desumptam ex hoc libro lect. 8. vbi sic ait: *Intellectus non apprehēdit quidditates materiales cum conditionibus indiuiduātibus, quæ eis in rebus sensibilibus adiungunturr*: ergo iuxta mentem D. Thom. quidditas materialis, & nō singularia materialia, spectat ad rationem obiecti proportionati.

Respondetur primo: D. Th. nō loqui de obiecto proportionato; sed de specificatiuo, quod ait, non esse singulare, sed vniuersale; cum de illo non detur scientia, (vt ait Philosophus.)

Respondetur secundo, (& forsan melius) D. Th. non asserere, in his verbis, intellectum nostrum nō cognoscere singularia materialia, pro hoc statu; tū quia hoc, saltim indirecte, non denegatur ab illis: tum quia (vt constabit ex dicendis infra) directe sunt cognita; sed solum asserere non cognosci cum sensibilitate vel in sensibilitate entitatiua, cum qua sunt in sensibus.

10. Et si inquiras; an anima rationalis sit obiectum proportionatum nostri intellectus, pro hoc statu? ¶ Respondetur affirmatiue: nam anima rationalis perfecte & quidditatiue, pro hoc statu valet cognosci à nostro intellectu, tam in statu immersionis intuitiue, quam in separationis statu abstractiue, per speciem alienā. Vnde illa, licet spiritualis quoad substantiam, intrat intra sphæram obiecti proportionati nostri intellectus pro hoc immersionis statu.

§. III.

Secunda conclusio.

11. OBiectum proportionatum nostri intellectus, in statu separationis, est omne ens naturale; in statu vero beatitudinis, ens in tota sua latitudine; ita

vt

vt in hoc statu beatitudinis obiectum proportionatum coincidat cum adæquato, & specificatiuo. Prima pars Probatur: in statu separationis noster intellectus non est aliquo nexu corporali, seu materiali impeditus: ergo habet omnem quantitatem virtutis, seu omnem efficaciam naturalem, quam valet habere: ergo valet intelligere, (quantum est ex se) omnia entia naturalia; præcipue cum vires supernaturales non sint necessariæ ad attinctionem rerum naturalium.

12. Dices: intellectus noster, in statu separationis, non est in eodem gradu immaterialitatis, nec specifico, nec generico, cum substantijs Angelicis: ergo illas non valet quidditatiue cognoscere.

Respondetur, concedendo antecedens, & negando consequentiam: nam conuenientia in esse rei, in gradu specifico, seu generico immaterialitatis obiecti cum potentia, solum est necessaria ad cognitionem comprehensiuam; (vt constat in Angelo inferiori, qui in opinione D. Th. valet comprehēdere superiorem, quia inferior, *in esse rei*, est in eodem gradu immaterialitatis generico cum superiori) non vero ad cognitionem quidditatiuam, ad quam sufficit quod omnia obiecta sint in eodem gradu immaterialitatis *in esse obiecti*, cum ipso intellectu. Vnde si in statu immersionis noster intellectus non valet Angelicas substantias quidditatiue cognoscere non est quia non sint, *in esse obiecti*, in eodem gradu immaterialitatis, in quo est intellectus; sed quia iste, vt dependens à corpore, non valet proprias harum substantiarum recipere species.

13. Dices secundo: intellectus separatus à materia non valet percipere actus liberos alterius animæ; & tamen sunt naturales: ergo nec in statu separationis valet intellectus perspicere omnia entia naturalia: ergo non omnia entia naturalia habēt rationem obiecti proportionati.

Respondetur distinguendo antecedens: intellectus separatus nō valet percipere actus liberos alterius animæ, deffectu speciei non communiatæ, concedo antecedens: deffectu speciei non postulatæ, vel virtutis, nego antecedens, & consequentiam: nam vt omnia entia naturalia sint obiecta proportionata, solum requiritur quod in tali statu non excedant virtutem intellectus, & quod exigat species obiectorum, ad illorum cognitionem necessarias, etiam si omnia, deffectu speciei non communicatæ, non percipiantur actu.

14. Nota tandem, hanc obiectionem solui debere ab omnibus; nam in omnium opinione omnia entia naturalia sunt obiecta proportionata intellectus Angelici; & tamen de facto non cognoscit actus liberos internos alterius Angeli, etiam si naturales sint, quia non communicantur ei species illorum.

15. Insurges vltimo, ex D. T.

1.p.q.89.ar.2: vbi loquēs de anima separata, & de intellectu in statu separationis, sic fatur. *Modus autem animæ separatæ est infra modum substantiæ Angelicæ; & ideo de alijs animabus separatis perfectam cognitionem habet; de Angelicis autem imperfectam, & defficientem, de cognitione autem gloriæ est alia ratio.* Tum sic: de obiecto proportionato debet dari perfecta cognitio; sed secundum D. Th. animæ separatæ perfecte non cognoscunt Angelorum quidditates: ergo substantia Angelica non est obiectum proportionatum nostri intellectus in statu separationis.

Respondetur, D. Th. non asserere Angelum quidditatiue cognitum non esse obiectum proportionatum nostri intellectus, in separationis statu, sed non esse comprehensiue cognitum obiectum proportionatum illius; sicut est anima alia in tali statu. Vnde minor deducta est falsa: nam obiectum proportionatum non exigit perfectiorem cognitionē, sed cognitionem, etiam si in aliquo sit defficiens. Et ratio est; nam omne id quod cognoscitur in aliquo statu, spectat eo modo quo cognoscitur ad rationem obiecti proportionati; sed Angelica substantia valet quidditatiue cognosci, in separationis statu: ergo hæc, vt sic cognita, spectat ad rationem obiecti proportionati; cum ad huius substantiæ quidditatiuam cognitionem dentur vires in intellectu separato.

16. Ex quo colliges, Angelos quidditatiue cognitos non spectare, pro hoc statu immersionis, ad rationem obiecti proportionati nostri intellectus; quia non habet, pro tali statu, vires ad illorū quidditatiuam cognitionem. Siquidē nomine *virium* nō solum venit virtus, quæ se habet ex parte potentiæ, sed etiam quæ se habet ex parte obiecti fœcundantis, & determinantis potentiā ad obiecti cognitionem; sed intellectus noster, pro hoc immersionis statu, nō habet species, seu vires obiecti, ad quidditatiuam Angelorum cognitionem: ergo, pro tali immersionis statu, Angeli quidditatiue cogniti non spectant ad rationem obiecti proportionati nostri intellectus.

17. Secunda pars nostræ conclusionis probatur. Intellectus, in statu beatitudinis est lumine gloriæ informatus; sed cum hac luminis gloriæ efficacia videt Deum, & consequenter (quantum est ex se) omnia entia supernaturalia; & naturalia, quæ infra Deum sunt, valet videre; vtique quia vt docet noster Gregorius, in vita Sancti Patris nostri Benedicti cap. 35. *Quod autem collectus mundus ante eius oculos dicitur, non Cœlum & terra contracta est, sed videntis animus est dilatatus; quoniam in Deo rapius videre sine difficultate potuit omne quod infra Deum est*: ergo omnia entia, siue naturalia, siue supernaturalia, sunt obiectum proportionatum nostri intellectus pro statu beatitudinis;

tudinis: ergo obiectum proportionatum, in beatitudinis statu, coincidit cũ specificatiuo, & adæquato.

QVÆSTIO II.

An ad obiecti intellectionem species impressa sit necessaria?

§. I.

Supponuntur aliqua.

1. PRo quæstionis intelligentia nota, speciem intelligibilẽ esse formam, siue accidentalem, siue substantialem, obiectum repræsentantem, & potentiam intrinsece determinantem ad talis obiecti cognitionem: iuxta illud Augustini: *ab obiecto & potentia patitur notitia.*

2. Nota secundo; hanc speciem posse bifarie accipi: Primo in *esse naturali*: Secundo in *esse repræsentatiuo*. In esse naturali, est entitas physica & realis, ab obiecto immissa, vel à Deo infusa; vt accidit in Angelis: in esse repræsentatiuo & intentionali, est imago obiecti repræsentati, ad quod dicit ordinem: vnde totum id, quod est in obiecto in esse naturali, est in specie in esse repræsentatiuo: & ideo species communiter appellatur obiectum in esse repræsentatiuo, actuans, & determinans potentiam, ad cognitionis prolem. His prælibatis, sit.

§. II.

Conclusio.

3. INtellectus ad suas cognitiones exercẽdas speciebus indiget impressis. Sic Aristoteles 3. de anima, tex. 30. & 38. D. Th. in præsenti lect. 7. & lect. 13: estq; cõmunis inter Doctores. (vno, vel altero excepto) Et probatur primo ex Parente Anselmo in Dialogo de veritate cap. 34. vbi sic docet: *nam nulli dubium est creatas substantias multò aliter esse in seipsis, quam in nostra scientia; in seipsis namque sunt per ipsam suam essentiam; in nostra vero scientia non sunt earum essentiæ, sed earum similitudines.* Ergo ex mente nostri Anselmi species, seu similitudines rerum existũt in intellectu, ad illarum cognitionem.

4. Secundo probatur ratione. Intellectus ex se est indifferens ad cognitiones obiectorum, sicut materia prima est indifferens ad suos actus substantiales: quia sicut ista est pura potentia, in esse entitatiuo, & naturali; sic ille in esse repræsentatiuo, & intelligibili; sed ista debet determinari per dispositionem, ad receptionẽ huius, & non illius formæ: ergo ille debet per speciem intelligibilem determinari ad hanc, & non ad illam obiecti cognitionem.

Confirmatur: sicut materia fœcundatur à forma substantiali, vt suppositum valeat suos actus eli-

cere;

cere; sic intellectus) qui secundum Philosophum est, *tanquam tabula rasa, in qua nihil est depictum*) fœcundatur ab specie impressa obiecti, vt suas possit exercere cognitiones; sed suppositum nõ valet, absque materia forma fœcũdata, proprios elicere actus: ergo neque intellectus, absque specie illum fœcundãte, valebit suas elicere cognitiones.

5. Dices primo: ostensionẽ extrinsecã obiecti determinare potentiam intellectiuam ad huius obiecti cognitionem. Sed contra est: nam præter quam quod hæc, nec in sensibus externis sufficit, non habet locũ in intellectu: Tum quia potentiæ intrinsecè indifferenti debet correspondere intrinseca determinatio, & non extrinseca, facta ab ostensione obiecti: Tum quia præsentia obiecti non vniti, de materiali se habet ad intellectionem: tum quia intellectus non solum percipit res præsentes, sed absentes: ergo vltra præsentiã extrinsecam obiecti, extrinsece determinantem, est necessaria intrinseca, facta per speceem intrinsecè receptam in potentia.

6. Dices secundo: intellectum determinari per sensationes sensuum internorum: nam in potentijs subordinatis, prima ostendit posteriori obiectum: non aliter ac intellectus ostendit obiectum voluntati. Sed contra est; nam hæc determinatio est *extrinseca*, & *improportionata*. *Extrinseca*, quia sensatio non valet subiectari intrinsece in intellectu, qui spiritualis est; iuxta illud; *omne quod recipitur, ad modum recipientis recipitur*. *Improportionata*, quia intellectus *trahit res ad se*, ad distinctionem voluntatis quæ *ad illas fertur*: ergo vsque dum obiectũ *sit per se* in intellectu, si proportionatum est intellectui (vt est substantia Angeli, respectu proprij intellectus) vel *per speciem immissam* ab obiecto, ratione cui⁹ obiectum proportionatur potentiæ: non valet potentia determinari ad huius obiecti cognitionem.

7. Replicabis primo: causæ inferioris ordinis valent determinare superiores; vt constat in Sole, qui determinatur à cæra, & à luto, vt determinatos producat effectus: ergo sensatio sensus exterioris, etiam si inferioris ordinis sit, poterit determinare intellectum ad cognitionem huius obiecti.

¶ Respondetur concedendo antecedens, de determinatione in genere causæ materialis; & illud negando, de determinatione in genere causæ formalis, in quo species debet intellectum determinare.

8. Replicabis secundo: in opinione D. Th. duo accidentia, solo numero distincta, pro eodem tempore; eidem repugnant subiecto; sed si darentur in potentia species, obiecta repræsentantes, de facto essent duo accidentia in vna eademque potentia: vtique quia potentia percipiens duo indiuidua eiusdem speciei, habet (in tali opinione)

nione) duas species impressas solo numero distinctas: ergo vel doctrina Angelici præceptoris, vel nostra conclusio, est falsa.

Primo respondetur, cum pluribus Doctoribus, duo accidentia solo numero distincta non posse esse simul in eodem subiecto, quãdo adæquatè accipiunt indiuidua tionẽ à subiecto absolutè sumpto; secus verò quando illam accipiunt, & à subiecto, & ab alio extrinseco; vt accidit in speciebus, quæ non solum indiuiduantur à subiecto, sed ab obiecto repræsentato. Constat hoc in priuationibus solo numero distinctis, quæ valent esse defacto in eodem subiecto, quia absolutè, & adæquatè nõ indiuiduãtur ab ipso; sed ab ipso & à forma qua priuãt. Et etiã in præsentijs solo numero distinctis in corpore replicato existentibus, quę valent esse in eodem corpore, quia non solum ab ipso, sed ab ipso vt diuersa loca connotante, indiuiduantur.

Secundò respondetur, cum Caietano, negãdo has species esse solum numericè distinctas, nã licet obiecta repræsentata solũ sint numericè distincta, tamẽ species sunt specificè distinctæ; quia tota essẽtia earum accipitur à repræsentatione illorum obiectorum, quatenũ distincta sunt; & sic à distinctione numerica obiectorũ accipiunt species specificam distinctionem.

9. Dices tertio: id quod deseruit ad cognitionẽ alterius, debet prius cognosci: cũ incognitum nõ manu ducat intellectũ in alterius cognitionem; sed species impressa (in nostra opinione) non est prius cognita; nisi ad speciem demus speciem: ergo species impressa nõ valet ad cognitionẽ obiecti deseruire: ergo vt superflua debet reijci.

Respondetur, maiorẽ esse verã, loquendo de forma, quæ se habet vt signum, non verò de illa, quæ solum est ratio cognoscendi; vt est species impressa, quæ non se tenet ex parte obiecti, sed ex parte potentiæ. Hac de causa dixi in Summulis, libr. 1. cap. 3. expressam speciem, tenentem se ex parte obiecti, & non impressam, tenentem se ex parte potentiæ, obtinere rationem signi formalis.

QVÆSTIO III.

Qualiter ad productionem speciei intelligibilis concurrat cum intellectu agente phantasma.

§. I.

Lux tituli & quæstionis.

1. PRo tituli intelligentia nota primo, omnes, vt certũ supponere, intellectum agentem concurrere effectiuè ad productionem speciei intelligibilis, & similiter phantasma esse necessarium ad talem productionem: tum quia intellectus agens absq; phantasmate est indifferens ad productionẽ omnium specierum, & sic ne

cessaria est illius determinatio, vt hanc & non illam producat: tum quia si ipse solus esset speciei intelligibilis adequata causa, ab initio, & non decursu tēporis, omnes produceret species; cū ex se sit causa naturalis, quę positis omnibus circunstantijs requisitis necessario debet operari: & sic in pręsenti solum dubitamus, demodo quo vtrumque concurrit ad speciei intelligibilis productionem.

2. Nota secūdò pro quęstionis luce, intellectū diuidi *in agētē, & possibilē*; nūc realiter, nūc ratione solū distinguātur. Intellectus agens est virtus, seu potētia animæ, qua sensibilia & materialia obiecta, in potētia solū intelligibilia, fiūt actu intelligibilia per productionem speciei intelligibilis spiritualis. Intellectus vero possibilis est virtus, seu potentia animę specierum intelligibilium receptiua, quibus fecundatur ad intellectualem prolem.

Ex hoc notabili colligo, intellectū agentē non esse cognoscitiuū: & ratio est, nam intellectus, absq; specie intelligibili, nō valet intelligere, iuxta illud, *ab obiecto & potētia pariturnotitia*. Sed intellectus agens non recipit à seipso speciem intelligibilem; cum talis receptio sit propria intellectus possibilis: (ab hac receptione *passibilis* appellati) nec ab alio, ne demus processum in infinitum: ergo ex se non est cognoscitiuus.

3. Nota tertio, seu suppone, ex D. Th. 1. p. q. 85. ar. 1. ad 4. phantasma, seu speciem phantasiæ illuminari ab intellectu agēte, ad productionē speciei intelligibilis: sed non omnes ei eandē tribuunt illuminationē. Nā Doctores, iuxta diuersū modū quo cōcurrere sentiunt, ad productionem speciei, ei diuersam tribuunt illuminationem.

4. Suppone quartò, (contra aliquas Societatis scholā sequentes) causam adæquatam, & principalem speciei intelligibilis, nō coalescere ex intellectu & phantasmate; sicut in opinione probabili, causa adæquatā principalis intellectionis coalescit ex intellectu possibili, & specie intelligibili. Ratio est, nā phantasma, vt materiale & corporeū, nē valet intellectui agēti vniri ad cōstitutionē vnius causæ principalis, nec species intelligibilis, vt spiritualis, valet principaliter ab ipso dimanare; præcipuè cū phātasma subordinetur intellectui agēti. Vnde si Sol, & homo, principaliter concurrunt ad alterius hominis productionē, est quia homo non subordinatur Soli, vt virtus ipsius, sicut phantasma subordinatur intellectui agenti, in casu quo talē haberet concursum. His stabilitis.

§. II.

Referuntur sententiæ.

5. PRima sentētia asserit, phātasma nullo modo concurrere effectiuè, sed solum materialiter,

liter, ad productionē speciei intelligibilis. Ita Suar. 2. tom. summæ Theologiæ tract. 3. lib. 4. cap. 2. num. 7.

6. Secunda sententia affirmat, speciem intelligibilem dimanare ab intellectu agente tanquam à causa principali actiua, & à phantasmate tanquam ab instrumento, seu tanquam à virtute instrumentaria actiua. Ita vniuersa Thomistarum schola.

§. III.

Conclusio.

7. NIhilominus tertia sententia, quam pro conclusione amplector, docet phantasma non concurrere ad productionem speciei intelligibilis, concursu effectiuo vero instrumēti, vel virtutis instrumentariæ, sed concursu materiali, etiam si talis concursus valeat, & debeat reduci ad concursum causæ effectiuæ instrumentalis. Prima pars constat ex Diu. Thom. 1. par. quæst. 85. art. 1. ad 4. vbi sic fatur: *abstrahit autem intellectus agens species intelligibiles à phantasmatibus, in quantum per virtutē intellectus agentis accipere possumus in nostra consideratione naturā specierū, secundū quarum similitudines intellectus possibilis informatur:* sed in his verbis totam actiuitatē tribuit intellectui agenti: ergo phantasma non concurrit vt virtus instrumentaria rigorosa; aliàs non tribueret D. Th. totam actiuitatem intellectui agenti.

8. Constat ratione eodem proportionali modo se habet phantasma, respectu intellectus agentis, ad productionē speciei intelligibilis, ac species intelligibilis se habet cum intellectu possibili ad productionem intellectionis; sed species intelligibilis se habet cum intellectu possibili, (vt constabit ex dicēdis infra quæst. sequenti) nō vt concurrens cum intellectu, vt vera causa efficiens intellectionis: ergo nec phantasma se habet vt causa instrumentalis efficiens vera speciei intelligibilis.

Confirmatur hæc ratio. Phantasma vel concurrit vt instrumentum rigorosum per virtutem propriam, vel per virtutem emendicatam ab intellectu agente; neutrum potest dici: ergo non concurrit vt vera causa efficiens. Prima pars dilematis admittitur ferè ab omnibus Thomistis, cum Complutensibus in præsenti. Et probatur: tum quia phantasma ex se est materiale & corporeum, & vt sic improportionatum ad productionem speciei intelligibilis: tum quia intellectus agens ex se est causa instrumentalis vera & rigorosa; & sic non debet absque superfluitate assignari alia, vt infra dicam. Secunda pars sic probatur. Virtus deriuata ab intellectu agente in phantasmate existit in intellectu agente; ergo in illo valebit producere speciem intelligibilem; ergo superflue ponitur in phantas-

mate, ad productionem speciei intelligibilis.

9. Secundo probatur, simulque confirmatur ratio præcedens. Intellectus agens concurrit vt virtus instrumentaria ad productionem speciei intelligibilis: ergo phantasma non concurrit vt virtus instrumentaria. Consequentia est certa, nam ad vnicum effectum vnica sufficit instrumentalis causa. Antecedens probatur: intellectus agens, (in omnium opinione) concurrit effectiuè ad productionem speciei; sed non principaliter, (vtique quia, vt constat ex 2. Physicorum, principalis causa est quę operatur virtute propria, vt propria; qualiter non operatur intellectus agens, cum sit intellectui possibili subordinatus in operando: ergo instrumentaliter; cum in genere effectiuo non valeat assignari alius modus concurrendi.

Confirmatur secundo idem antecedens. Intellectus agens in operando deseruit possibili, cum ad hoc munus sit à natura institutus: ergo solum operatur, vt instrumentum, vel vt alterius, quod idem est.

10. Vt secunda constet nostræ resolutionis pars, nota primò: quod sicut in genere causæ materialis assignatur duplex causa propria seu receptiua; vna, quæ vere & realiter recipit formam; vt est materia respectu formarum substantialiũ; & cera respectu figuræ; & alia impropria, seu dispositiua, quæ solum disponit ad receptionem; vt sunt dispositiones naturales respectu formæ substantialis; vel vt est mollities respectu figuræ; sic in genere effectiuo datur duplex causa, vera, & propria vna, quæ per veram, & realem actionem producit effectum; & impropria seu lata alia, quæ solum determinat agens, seu causam propriam ad operandum, qualiter essentia producta determinat agens ad productionẽ proprietatum.

11. Nota secundo, hanc doctrinam etiam esse veram in instrumentis causæ effectiuæ: Nam datur instrumentum, seu virtutes instrumentariæ, quæ vere, & propriè causant effectus; vt est calor respectu ignis, & instrumenta artis respectu artis; & etiã dantur alia, quæ solum conducunt ad illorum operationem, vt est hæc, vel illa figura in instrumentis ad operandum reperta. Vnde illa vocantur instrumenta vera, & rigorosa; ista vero impropria, & metaphorica. Sic assero phantasma concurrere effectiuè impropriè, cum intellectu agente ad speciei intelligibilis productionem, in quantum illum determinat, ad hunc, & non illius speciei efficientiam.

12. His suppositis sic probatur secunda pars nostræ assertionis: licet phantasma nullam habeat veram actiuitatem in speciem intelligibilem, tamen intellectum agẽtem illam adæquatè producẽtem deter-

determinat, ad huius, & non illius speciei intelligibilis productionē: (vt ex notabilibus primis cōstat) ergo illius concursus debet reduci ad effectiuum instrumenti, cum non sit in ordine, in quo est effectus productus, sed in alio inferiori.

13. Confirmatur: nō alia ratione species intelligibilis concurrit, effectiuè late, ad intellectionē, nisi quia determinat intellectum possibilem ad hanc, & non ad illam intellectionem; sed etiam phātasma determinat intellectum agentem ad hanc, & non ad illam speciem intelligibilem: ergo propter eandem rationem debet illius cōcursus reduci ad effectiuum.

14. Ex his, (& precipuè ex D. Thoma loco supra citato) liquet modum, quo intellectus illustrat phantasma, non enim illud illustrat, (vt aliqui volunt) quia aliquid ab illo abstrahat, & aliquid in illo relinquat, nec quia in illo aliquod producat lumen; sed solum quia repræsentationem existentem in phantasmate, seu in latebris materialitatis, educit ad spiritualitatem speciei intelligibilis.

15. Dices: vel phātasma determinat intellectum agētem intrinsecè, vel extrinsecè; cum non detur alius sygillationis modus. Primum non dices, nam phantasma, quia materiale, & corporeum non valet informare intellectum agētem. Secundum est impossibile, quia determinatio extrinseca est admodum exēplaris, ad quod intuens agens operatur; sed intellectus agens est expers cognitionis: ergo non valet extrinsecè determinari a phantasmate ad huius, & non illius speciei intelligibilis efficientiam.

16. Respondetur admittendo secundam partem dilemmatis. Ad probationem nego impossibilitatem; nam per naturalem sympathiam, quā habet phantasma, cum intellectu agente, est è cōtra, absque cognitione aliqua determinatur ad productionem huius, & non illius speciei intelligibilis. Explicatur hoc in voluntate, quæ nō est cognoscitiua; & tamē abono proposito determinatur.

17. Et vt veritatem solutionis, inconsequentiam que Thomistarum cognoscas: nota, hanc obiectionem debere ab illis solui. Nā (in eorum opinione) phantasma illuminatur ab intellectu agente, ad hoc vt ascendat ad rationē virtutis instrumentariæ speciei intelligibilis productiuæ, etiam si, in eorum opinione, intellectus agens non sit cognoscitiuus: si ergo phātasma valet ab intellectu agente percipi absque cognitione ad illuminationem, quare non valebit absque illa percipi ad determinationem? vel (vt formalius loquar) si potest intellectus agens illuminari a phantasmate non cognito, quare non poterit ab illo determinari ad speciei intelligibilis productionem?

18. Replicabis: species intelli-

gibilis est similitudo obiecti; sed intellectus agens, absque phantasmate, non est similitudo obiecti; cum phantasma illud repræsentet: ergo licet naturalis sympathia sufficiat in voluntate, ad hoc voluntate, ad hoc vt voluntas, quæ assimilatiua non est, determinetur ad amorem obiecti propositi; tamen hæc non sufficit in intellectu agente, ad hoc, vt determinetur ad productionem huius speciei intelligibilis.

Respondetur concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam. Non formalis similitudo solum est necessaria in vniuocis causis, in quibus formaliter effectus debet contineri; non vero in æquiuocis, in quibus solum est necessaria virtualis continuctia: vt videre est in omnibus causis æquiuocis. Quod vero continentia virtualis detur in intellectu agente, constat ex eo, quod philosophus non semel ait, *intellectum esse quodammodo omnia*: ergo ex mente Philosophi intellectus ex se valet producere species omnium obiectorum; alias non intellectus, sed phantasma esset quodammodo omnia: vel (vt formalius loquar) non intellectus ratione sui, sed ratione phantasmatis, esset aliqualiter omnia.

19. Constat etiam secundo à simili, in intellectu possibili, qui absque concursu effectiuo rigoroso speciei impressæ, (vt constabit ex quæstione sequenti) valet producere species expressas omnium obiectorum, per continentiã virtualem, quam ex se habet harum specierum: si ergo possibilis valet omnes similitudines in speciebus expressis repertas virtualiter cõtinere, & producere; quare agens non valebit virtualiter continere, & producere omnes similitudines in speciebus impressis repertas? Vnde si replica aliquid probat, non probat phantasma esse solum instrumentum rigorosum speciei intelligibilis, sed esse causam principalem illius; cum species obtineat similitudinem phãtasmatis; & effectus, in opinione Thomistarum, quos impugnamus exeat similis non causæ instrumẽtariæ, sed principali.

§. IV.

Argumenta Patris Suarez.

20. PRimũ desumitur ex D. Th. 1. par. q. 84. art. 6. in fine, vbi sic ait *non potest dici, quod sensibilis cognitio sit totalis, & per se sola causa intellectualis cognitionis, sed magis quodãmodo est materia causæ*: ergo ex mente D. Thomæ phantasma solum concurrit materialiter, seu in genere causæ materialis ad speciei intelligibilis productionẽ.

Respondetur Diuum Thomam non asserere absolutè esse causam materialem speciei intelligibilis, sed esse materiam causæ, hoc est, esse materiam determinatiuã intellectus agentis, ad hoc vt hanc, & non illam speciem producat: quod

quod verum est etiam si illius causalitas non sit tantum materialis, sed effectiua lata; appellatur tamen à D. Thom. materialis, quia in phantasmate reperitur propriũ munus materiæ, quod est determinare.

21. Secundum: phantasma est materiale, & corporeum: ergo nõ valet determinare intellectum agentem spiritualem ad productionem speciei intelligibilis.

Respondetur distinguendo antecedens. Phantasma est materiale, & corporeum *in esse rei* cõcedo antecedens: *in esse intelligibili*, nego antecedens, & consequentiam. Nam phantasma non determinat intellectum agentem ad productionem speciei intelligibilis, secũdum entitatem, quam habet, sed secundum repræsentationem, quã possidet; & sic materialitas phantasmatis de materiali se habet ad intellectus determinationem.

22. Tertium: phantasma se habet vt species impressa vel expressa phantasiæ, in qua reperitur, tãquam in subiecto inhæsionis; ergo non valet aliã determinare potẽtiã, vtique, quia species vnius sensus nõ potest alium determinare. ¶ Respondetur negando antecedens. Nam licet verum sit, quod species phantasiæ appellãtur phãtasmata, tamen phantasma, intellectum agentem determinans, nõ est species expressa phantasiæ, sed aliquid materiale ab obiecto materiali, productum, media hac specie expressa; non aliter ac species impressa vnius sensus interioris nõ est expressa exterioris, sed est aliquid ab obiecto materiali productum, media specie expressa exterioris sensus.

23. Et si inquiras; vbi subiectetur phantasma extrinsece determinans intellectum agẽtẽ? ¶ Respondetur subiectari in memoria sensitiua, quæ ex se proponit intellectui phantasma, vt ex tali propositione maneat determinatus ad huius, & non illius speciei intelligibilis productionem.

24. Dices accidẽs, quod conaturaliter existit in vno subiecto, non determinat aliud ad productionem: ergo phantasma in phantasia, seu in memoria, conaturaliter existens, non valet determinare intellectum agentem ad productionem specierum.

Respondetur concedendo antecedens, quando subiectum non est viale, & quasi seruus alterius; vt est memoria sensitiua respectu intellectus agentis, & respectu cogitatiuæ, nam illa non seruat species, vt eas percipiat, sed vt alijs proponat potentijs; videlicet cogitatiuæ; vt cognoscat res absentes; & etiam intellectui agenti, vt iuxta repræsentationem earum producat in speciebus intelligibilibus similes repræsentationes.

§. V.

Argumenta Thomistarum.

25. PRimum desumitur ex D. Th. quodlibeto 8. a. 3. &

2.2.2. & 3.p q.9.a.4. ad 1. & de veritate. q. 10. a. 6. ad 7. & pluribus alijs in locis vbi hæc haber verba *in productione specierum intelligibilium intellectus agens concurrit principaliter, seu vt agens principale; phantasma vero concurrit instrumentaliter, seu vt agens instrumentale:* ergo ex mente Diui Thomæ habet verum influxum instrumentalem, & intellectus agens non concurrit instrumentaliter, sed principaliter, quod opponitur conclusioni, & rationibus conclusionis.

Ad primum, quod ex mente Diui Thomę obijcitur contra nostram conclusionem dico, phantasma dici à D. Th. instrumentum, quia determinat virtutem instrumentariam intellectus agentis ad productionem speciei intelligibilis; non aliter, ac Doctores, cum D. Th. asserunt, speciem intelligibilem concurrere effectiue, cum intellectu possibili ad productionem intellectionis, quia determinat intellectum possibilem ad illius productionem effectiuam.

Ad secundũ dico, Diuum Thomam appellare intellectum agentem causam principalem, non absolutè, sed comparatiue ad phantasma, quod ordinis inferioris est; & sic semper ac appellat intellectum agentem causam principalem, appellat etiam phantasma instrumentalem, vt intuenti constabit.

26. Secundum. Species intelligibilis est spiritualis, & simul repræsentatio obiecti materialis; sed in intellle ctu agente non continetur repræsentatio obiecti materialis: ergo absque influxu effectiuo rigoroso phantasmatis non potest producere species intelligibiles.

Hoc argumentum manifestam habet instantiam in intellectu possibili, qui absque concursu effectiuo rigoroso speciei impressæ producit species expressas, quæ obiecta materialia repræsentant, præcise per hoc, quod à repræsentatione speciei impressæ determinetur.

Vnde pro omnibus respondetur, intellectum agentem (idem q; dicendum est de possibili) continere repræsentationes omnium obiectorum virtualiter, & per modum causæ æquiuocæ, qualiter Sol continet omnes effectus sublunares. Nam, (vt dixi ex Philosopho) intellectus quodammodo est omnia; id est in se continet non obiecta, sed repręsentationes omnium obiectorum; & propter hoc cum illo addito, videlicet *quodammodo*, dixit esse omnia.

QVÆSTIO IV.

An species intelligibilis concurrat effectiuè cum intellectu possibili ad intellectionem.

§. I.

Lux tituli, & Doctorum Placita.

1. Titulus supponit vnum; videlicet intellectum possibilem

bilem effectiue rigorose concurrere ad intellectionem; & inquirit aliud, videlicet, an species intelligibilis necessaria ad intellectionem, habeat in ipsa, verum, & realem influxum.

2. In hac re prima sententia affirmat. Ita Complutenses in præsenti, & est communis inter Thomistas.

3. Secunda negat. Ita Bañez, quem sequentur aliqui recentiores, in huius obsequium, sit.

§. II.

Conclusio.

4. NVlla species intelligibilis concurrit vero, & rigoroso concursu effectiuo ad intellectionem; bene tamen metaphorico, & improprio, quatenus determinat intellectum ad huius intellectionis productionem. Constat hæc nostra conclusio ex D. Th. 1. 2. q. 9. a. 1. ad 2. vbi asserit: *eodem proportionali modo bonum apprehensum esse formam voluntatis, eamque determinare ad operandum; ac species, seu obiectum, est forma seu determinatio intellectus:* at qui bonum apprehensum non concurrit vero, & rigoroso concursu effectiuo, cum voluntate ad actum voluntatis: ergo nec species impressa (in opinione Diui Thomæ) cum intellectu ad intellectionis actum.

5. Constat secundo, ex dictis quæstione antecedenti, vbi probaui, phantasma non concurrere, cum intellectu agente, vere, & proprie ad productionem speciei intelligibilis.

6. Constat tertio, ex dictis secundo physicorum, disp. 4. q. 1. §. 12. vbi late probaui, substantiam Angelicam creatam esse immediatum principium operationis veræ, & rigorosæ, si species intelligibilis verum concursum effectiuum haberet in intellectionē. Nā (vt ibi supposui, cum omnibus Thomistis ex materia de Angelis) Angelus cognoscit seipsum per suam substantiam.

7. Constat quartò: nam ad actum supernaturalem fidei nō concurrit species effectiuè rigorose, cū habitu fidei: ergo nec ad alios actus intellectus debent species concurrere effectiuè rigorosè: cōsequentia constat ex antecedenti: nam si fides absque concursu rigoroso speciei valet assensus fidei supernaturales producere; quare intellectus non valebit absque concursu specierum alios producere actus? antecedens probatur, species naturales (vt constat ex materia de fide) dantur ad assensus fidei; sed nulla causa naturalis potest immediatè concurrere ad effectum supernaturalem; (vt docēt Theologi Thomistæ in materia de visione) ergo ad actus fidei supernaturales non concurrunt species propriè, & rigorosè.

8. Ad hanc rationem respōdent aduersarij actum fidei non contineri in specie, quæ repræsentatiuè tantum illum causat; sed in habi-

tu, qui physicè illum producit.

Sed contra est primò de cõceptu causæ efficientis principalis, vt ab instrumẽtali cõdistinctę, est cõtinentia effectus: ita vt a negatione continentię, ad negationẽ causæ principalis, sit optima consequentia: ergo si actus supernaturalis fidei non continetur in specie, hæc non concurrit actiuè per modum causę efficientis principalis rigorosæ; vt Thomistæ cõtrarij intendunt.

Contra est secundò ex eo Thomistæ (in materia de visione) asserunt intellectum nullum habere concursum immediatum in visionem beatam, quia hæc, vt adęquatè supernaturalis, nõ valet, nec inadæquatè contineri in intellectu, qui potentia naturalis est: sed actus fidei est supernaturalis adęquatè: ergo nec inadæquatè valet cõtineri in specie naturali: ergo in genere causæ effectiuæ rigorosæ nullo modo valet immediatè concurrere ad visionem beatam; quia nullo modo est in illo contẽta; sed actus supernaturalis fidei (vt ipsi admittunt) nullo modo continetur in specie impressa illius: ergo nullo modo effectiuè rigorosè, poterit hæc, in illum influere.

Contra est tertio; intellectio est formaliter vitalis: ergo nõ valet efficienter principaliter dimanare ab specie, quæ nec formaliter, nec eminenter, est vitalis, vt ex se constat.

(1)

§. III.

Argumenta oppositæ sententiæ.

9. PRimum desumitur ex Diuo Thoma in 4. dist. 47. q. 2. ar. 1. in o. & quæst. 8. de veritate, art. 1. ad 3. & 3. contra gentes, cap. 51. & 1. p. q. 51. art. 1. vbi sic ait, *quod species intelligibilis se habet ad intellectionem, sicut forma, quæ est principium actionis in alijs agentibus*; atqui forma, in alijs agentibus, est principium effectiuum rigorosum *vt quo* operationum, & effectuum: ergo & species intelligibilis iuxta mentem D. Tho.

Respondetur negando consequentiam nam D. Thom. solum comparat speciem intelligibilem, formæ, in quantum species determinat intellectum ad agendum; ad eum modum quo forma determinat suppositum ad operandum; etiam si hæc & non illa operetur, per veram & realem actionem.

Nec obstat quod D. Thom. asserat, speciem concurrere ad actum sicut calor ad calefactionem; nam per ly *sicut* non exigit omnimodam, sed aliqualem vnitatem, seu proportionem; vnde sicut calor est principium effectiuum calefactionis, sic species est principium effectiuum intellectionis, absque eo quod assignet conuenientiam omnimodam in modo concurrendi, intra tale genus.

10. Secundum: intellectio procedit ab intellectu, tanquam à fœmina

mina spirituali; & ab obiecto, seu specie, tanquam à masculo; iuxta illud repetitum, *ab obiecto, & potẽtia pariter notitia*; sed masculus (in omnium opinione) actiuè rigorosè concurrit ad prolem naturalem: ergo & species ad intellectualem.

Respondetur, maiorem solum probare proportionem analogã; non vero vniuocam; alias probaret intellectum non concurrere ad intellectionem effectiuè sed passiuè tãtum; cum (in opinione D. Th. & Thomistarum) fœmina solum passiuè concurrat ad generationem.

11. Tertium. Effectus debet præcontineri in causa effectiua; atqui intellectio nõ continetur adæquatè in intellectu; cum saltim ex parte verbi, seu termini, expresse repræsentantis obiectum, in illo non contineatur: ergo species, quæ est formalis similitudo obiecti, debet simul concurrere cum intellectu ad intellectionis productionem.

Respondetur (iuxta dicta quæstione antecedenti) concedendo maiorem, de continentia virtuali; & negando absolutè minorem; nam repræsentationes, omnium obiectorum virtualiter sunt in intellectu contentæ, & sic repræsentatio speciei non requiritur, vt ratio continens, (vt aliqui ex Doctoribus qui nostrã defendunt cõclusionem, existimant; sed vt ratio determinant intellectum, ad hoc vt hanc, & non illam, repræsentationem producat; non aliter ac in artificialibus, figura in instrumento existens, cui assimilatur, effectus non requiritur vt virtus actiua, nec vt ratio continens, sed vt ratio determinans instrumentum, ad hoc vt ex figuris, quæ ab ipso possunt causari, medio artificis impulsu, producat hanc, & non illam.

12. Quartum: id, quod se habet in aliquo ordine seu linea, vt forma, influit actiuè in operationem talis ordinis; sed in linea intelligibili species intelligibilis se habet vt forma: ergo influit actiuè in intellectionem: præcipuè cum ei assimiletur intellectio.

Respondetur distinguẽdo maiorem; id quod se habet & forma influit actiuè propriè tantum, & semper, nego maiorem; propriè, vel impropriè, cõcedo maiorem, & minorem; & nego consequentiam: nam si forma naturalis ignis, vel aquæ, v.g. (in linea naturali) influit actiuè propriè, non est præcisè quia in tali linea est forma; sed quia est forma, in qua cõtinetur effectus; at vero in specie intelligibili non vitali, non continetur intellectio vitalis; & sic licet sit forma in tali ordine nõ debet propriè concurrere; quia supponit intellectum intellectionem continentem adæquatè.

Nec obstat, quod speciei assimiletur intellectio, ex parte termini; nam etiam in artificialibus assimilatur effectus ideæ, & figuræ instrumenti, etiam si actiuè rigorosè non concurrant.

QVÆS.

QVAESTIO V.

An species intelligibiles ab agente, impossibili productæ intellectu, repræsentent, per se primo, singularia materialia?

§. I.

Explicatur titulus & referuntur sententiæ.

1. SVb alijs terminis solet hæc difficultas excitari; videlicet; an vniuersale, vel singulare materiale, sit primò cognitum ab intellectu? vel an cognoscat intellectus noster, in hoc statu, singulare materiale per speciem propriam, vel alienam? hoc est, an cognoscat singulare materiale, per speciem immediatè, & per se, repræsentantem illud; vel per speciem immediatè, & per se primò repræsentantem vniuersale, & mediatè & per se secundo singularia, iuxta diuersitatem opinionum?

2. Et vt maiori procedam claritate, nota phantasma, & omnes species sensibiles, (in omnium opinione) per se primo repræsentare singularia materialia, à sensibus per se primo percepta; & ideo cõsulto titulo solum inquirit, de speciebus intelligibilibus in intellectu existentibus.

3. His suppositis, prima sententia asserit, species intelligibiles, ab intellectu agente impossibili productas, per se primo nõ repræsentare singularia materialia; & consequenter intellectum directe & per se primo, illa non cognoscere; sed solum indirecte & secundario, per conuersionem ad phantasma; ita vt prius cognitum ab intellectu sit vniuersale. Sic vniuersa Thomistarum schola, citans pro ea D. Thom. 1. p. q. 86. a. 1. vbi sic ait. *Respondeo dicendum quod singulare, in rebus materialibus, intellectus noster directe & primario cognoscere non potest; in directe tamen, & quasi per quandam reflexionem potest cognoscere.* Idem docet. q. de anima. a. 20. in responsione ad 1. Ex quo liquet, hanc sententiam probabilem esse, propter hoc testimonium Diui Thomæ, vt ex dicendis constabit.

4. Et si ab his Doctoribus inquiras, modum quo intellectus, per conuersionem ad phantasma, cognoscat singulare materiale?

Respondent varie nam alij, cũ Caietano asserunt cognoscere illud arguitiue, quatenus cognoscendo vniuersale, non posse esse per se, sed necessario debere esse in singularibus, quasi per discursum, & argumentum, venit in determinate, (vt ipse fatetur) in cognitionem singularium materialium.

5. Alij defendunt cognosci in directe per cognitionem reflexam actus terminati ad cognitionem speciei vniuersalis, ex phantasmate ortæ.

6. Alij, cum Fonseca, dicunt singularia materialia cognosci confusse in specie vniuersalis, & cla-

clare in phantasmate, determinate intellectum posibilem, ad illius cognitionem; nam sicut phantasma valet cum intellectu agente concurrere ad productionem speciei intelligibilis, sic dicunt posse cõcurrere cum posibili, illum determinando, ad cognitionem clara & determinatam huius singularis materialis.

7. Alij, cum Ioanne a Sancto Thoma, asserunt singularia materialia cognosci clare & determinate licet indirecte per speciem vniuersalis, connotantis per modũ termini à quo singularia, seu phãtasma, a quibus fuit vniuersale abstractum.

8. Secunda sententia, ex diametro opposita, docet species productas ab agente imposibili, per se primo repręsentare singularia materialia; ita vt intellectus posibilis prius cognoscat singulare materiale, quam vniuersale, a singularibus abstractum. Sic Scotus cum sua schola in. 4. dist. 45. q. 2. sic vniuersa societatis familia; estque communis inter recentiores: in huius obsequium, sit.

§. II.

Conclusio.

9. Species impressæ, ab intellectu agẽte imposibili productæ, directe, & per se, repræsentant singularia materialia. Probatur: species intelligibilis, immediate repræsentans singulare materiale, non repugnat, neque quia est rei singularis, neque quia est rei materialis: ergo ex nullo capite repugnat: consequentia est certa. Antecedens probatur, quo ad primam partem; nam species animæ separatæ, & Angelorum, sunt spiritualiores, & immaterialiores, speciebus intellectus immersi; & tamen illæ directe repræsentant singularia materialia: ergo & istę, absque aliqua repugnantia, possunt, & debent, illa repræsentare.

Secunda pars constat ex probatione primæ, & amplius probatur; nam quidditas singularis materialis, materialis est; & tamen directe valet repræsentari, absque aliqua repugnantia in specie intelligibili, beneficio intellectus agentis producta: ergo & singularitas, etiam si materialis sit, valet, & debet, ab specie intelligibili directe repræsentari. Confirmatur singularitas in actu signato, vt quidditas quædam est, ita est materialis, ac ipsa singularitas in actu exercito; sed illa, (in opinione aduersariorum) valet directe repræsentari in specie facta ab intellectu agẽte: ergo & ista.

10. Dices cum Thomistis; species intelligibiles, quæ fiunt virtute intellectus agentis, producũtur ab illo per abstractionẽ a phãtasmatibus: ergo debent accipere à repræsentatione phantasmatis aliquid, & simul relinquere aliquid; hoc est debent accipere naturam, & relinquere singularitatem: ergo species intelligibilis, a phantasma-

te

te abstracta, non repræsentat singulare.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, in sensu in quo est explicata; nam licet intellectus agens debeat accipere, & relinquere aliquid, in phantasmate, tamen non debet accipere solam naturam, sed naturam & singularitatem, & relinquere materialitatem, seu corporeitatem eiusdem phantasmatis; & (vt vno verbo dicam) debet relinquere materialitatem in essendo, non vero in repræsentando; nunc sit quidditatis nunc hæccitatis; nam hæc non repugnat intellectui, quando repræsentatio est in specie spirituali; vt cernere licet in Deo, Angelis, & anima separata, etiam si spirituales sint; si ergo materialitas singularitatis, in esse repræsentatiuo, non habet improportionem, nec repugnantiam, cum intellectu spiritualiori, & immaterialiori, quare habebit cum minus spirituali & immateriali.

11. Ex his colligo, non solum non repugnare speciem hanc repræsentare singularia materialia, sed naturaliter non posse non illa repræsentare; nã intellectus agẽs, vt agens naturale, producit speciẽ intelligibilem, iuxta exigentiam phantasmatis; sed phantasma non solum repræsentat naturam, sed singularitatem: ergo species, naturaliter ab agente producta, non solum repræsentat naturam, sed etiam singularitatem.

12. Insurges secundo ex Aristotele, 2. de anima, cap. 5. vbi asignans discrimen, inter sensum, & intellectum ait; quod *sensus est singularium, intellectus vero vniuersaliũ*: ergo sentit singularia non cognosci ab intellectu directe; & consequenter non dari in intellectu speciem illa repræsentantem; alias illa directe cognosceret.

Respondetur Aristotelem, in hoc loco, non asserere solum vniuersale esse obiectum intellectus; alias singulare nullo modo posset cognosci ab intellectu, quod absque dubio est falsum, & extra mẽtem Philosophi; sed asserere sensum esse singularium tantum; intellectum vero singularium & vniuersalium simul.

Et quod hæc sit Philosophi mens constat ex eo, quod in prædicto loco dubitabit, an detur aliqua potentia sensitiua, quæ cognoscat, vel percipiat vniuersale; & vt quæsito satisfaceret, dixit; *quod vniuersale est notum secundum rationem*; vt sic excluderet sensus a cognitione vniuersalis; non vero vt solum ei tribueret cognitionẽ directam vniuersalis, & non singularis materialis.

13. Secundo probatur assertio ad hominem, contra Patres Carmelitas; nam, in eorum opinione, non repugnat species expressa directe repræsentans singulare materiale: ergo nec impressa debet repugnare. Probo cõsequentiam; nam si in illorum opinione, repugnat impressa, est, quia singulari-

tas

tas rei, materialis nō valet repræsentari ab immaterialitate speciei impressæ intelligibilis; sed species intelligibilis expressa ad minus habet æqualem immaterialitatem cum impressa intelligibili: ergo si expressæ non repugnat directa singularis materialis repræsentatio, qua cum consequentia debet impressæ repugnare.

Confirmatur: species expressa est formalis similitudo impressæ, ita vt species expressa, seu verbum mentis, non valeat excedere perfectionem, vel imperfectionē, impressæ; (vt docent Thomistæ in materia de Trinitate) ergo si datur in nostro intellectu species expressa directe repræsentans singulare materiale, signum est, quod antecedit impressa directe illud repræsentans.

14. Ad hanc rationem respōdet Carmelitana familia, speciem expressam commensurari, & cum cognitione indirecta singularis, quæ valet producere speciem expressā directe illud repræsentās, & cū impressa formata, non ab intellectu agente, sed à possibili, post & per cognitionem indirectā singularis.

Sed contra est primo nam species expressa nihil aliud exprimit vel repræsentat, præter id quod erat in impressa; alias expressio esset falsa; sed si in impressa, ex qua dimanat tanquam ex ratione agēdi expressa, non datur (in opinione horum Doctorum) directa repræsentatio: ergo nec in expressa debet dari.

Contra est secundo species impressa, (beneficio agentis in possibili formata) intellectui non repræsentat (in opinione horum Doctorum) singularitatem, quia relinquit singularem materiam in phantasmate; sed species expressa & impressa facta post, & per cognitionem reflexam singularis, etiā relinquit materiam singularem in phantasmate; imo magis distat à materia, quam secūda: ergo propter eandem rationem non debet expressa directe repræsentare singularia materialia.

15. Tertio probatur conclusio. Experientia ocularis nos docet, intellectum nostrum clare & distincte cognoscere singularia, cum cognoscat hanc albedinem ab illa esse distinctā; sed hæc cognitio nō valet haberi per speciem intelligibilem albedinis, hoc est per speciem intelligibilem essentiæ albedinis, cum hæc tantum in confusō, & in potentia illam repræsentet: ergo dicendum est dari per speciem directe repræsentantem singularia materialia.

Confirmatur: species repræsentans quidditatem hominis. v. g. vel repræsentat clare omnia indiuidua, vel nullum, vel aliquod; si omnia vel aliquod ergo illa species non solum est naturę sed etiam singularium: si nullum; ergo non valent per illam speciem cognosci indiuidua, cognitione clara.

16. Si dicas; cognosci per conuersionem ad phantasma, ita vt ratio cognoscendi in recto sit natura

tura in specie intelligibili repræsentata, quæ indiuidua connotat & in obliquo sint phantasmata in phantasia existentia.

Cōtra est primo nam si illa species repræsentans naturam, connotat singularia existentia in phātasia: ergo quando de nouo aduenit phantasiæ aliud singulare eiusdem speciei necessaria erit alia species, quæ illud connotet; quod ridiculum est & ab aduersarijs non admissum.

Contra est secundo: hæc connotatio naturæ repræsentatæ, vel est aliquid saltim per rationem à natura distinctum, vel non; si non: ergo per hanc speciem sola natura valet cognosci: si primum; rogo vt mihi explices, quid sit hoc distinctum, ratione cuius omnia indiuidua clare & distinctæ cognoscantur.

Contra est tertio; natura ex se est indifferens ad omnes singularitates: ergo si in hac indifferentia valent clarè & distincte singularitates omnes cognosci: ergo non solum singularia, quæ sunt in phātasia, sed etiam quæ possunt esse, & non sunt valent distinctè cognosci quod cum fundamento non dices, etiam si exacte dictis sequatur.

17. Respondebis pro Thomistis; prædicta singularia in phātasmate non existentia non posse cognosci ab intellectu, nec repræsentari ab specie intelligibili, in qua per se primò est quidditas repræsentata; quia deficit terminus ad talem repræsentationem postulatus: non aliter ac Angeli in speciebus infusis non valent, cognoscere, nec repræsentare futura, defectu existentiæ requisitæ vt ab illis repræsententur.

Sed cotra est: ergo præcisè per hoc, quod de nouo aduenit phātasiæ aliud singulare, connotat illud natura repræsentata in specie: ergo hæc natura ex se est vniuersalis; cum ex se sit ratio connotationis positiuæ apta ad essendum in illis.

Contra est secundo; si in specie, in qua homo representatur v. g. valent cognosci singularia distinctè secundum rationes proprias: ergo in specie, in qua animal repræsentatur, valent cognosci omnes species sub animali contentæ, secundum rationes proprias: hoc a nullo Doctore est dictum, etiam si manifestè sequatur ex ipsorum doctrina: ergo nec illud debet dici.

Contra est tertio. Species quidditatis materialis repræsentatiua non valet perfectiori modo connotare singularia materialia in phantasia existentia, ac species paternitatis representatiua valet connotare filiationem; sed intellectus in specie paternitatis solum confusse valet cognoscere filiationem: ergo in specie quidditatis materialis clarè non valent cognosci singularia materialia, quæ sunt in phantasia.

Contra est quarto. Singulare materiale, quod de nouo aduenit phan-

phantasiæ, non producit aliquid in specie quidditatis materialis, vt ratione illius connotet tale singulare; nec intellectus agens aliquid in illa producit, vt de nouo talem habeat connotationem: ergo talis noua connotatio sine fundamẽto assignatur in specie quidditatis, ad claram singularis cognitionem.

§. III.

Aduersariorum fundamenta.

18. PRrimum & maximum aduersariorum fundamẽtum, imò & vnicum est auctoritas Diui Thomæ supra relata; ad quã, quia in nullo Doctore inueni solutionem, specialiter dico: Doctorem Sanctum in primis verbis non asserere intellectum nostrum directè non cognoscere singulare, quia directè *vt quod* ab ipso non cognoscatur, sed quia cognoscitur sub ratione vniuersalissima entis, in ipso transcendentaliter reperta; & ideo ait, vniuersale esse primo & directe cognitum, nõ quia (vt aduersarij intendunt) vniuersale solum sit directè repræsentatum in specie; vel quia tantum quidditas materialis sit *vt quod* primo cognita: sed quia singulare primo *vt quod* cognitum & repræsentatum cognoscitur, & repræsentatur media ratione vniuersaliori, videlicet media ratione entis directe tanquam ratio *quæ*, seu formalis per se primò cognita, ratione entis.

19. Ad vltima verba D. Thom. scilicet; *singulare materiale cognosci ab intellectu, per conuersionẽ quandam ad phantasma*: dico Diuum Thomam hoc non asserere, quia existimet quidditatem repræsentatam in specie intelligibili connotare singularia derelicta in phãtasia; sed quia species intelligibilis repræsentans naturam & singularitatem est similitudo phantasmatis, singulare etiam repræsentantis, & sic, quia species intelligibilis repræsentans per se primò singulare materiale, ordinatur ad phantasma, sicut imago ordinatur ad exemplar, ideo docet cognosci per quandam reflexionẽ, seu per conuersionem ad phantasma.

20. Secundum à ratione sic procedit. Intellectus est immaterialis: ergo non valet in se recipere speciem representantem singulare materiale; cũ hoc habeat pro primo principio materiam.

Respondetur concedendo antecedens, & negando consequẽtiã; nam licet intellectus abstrahat à materia in essendo, ex parte cognitionis speciei impressę, & expressæ, non tamen ex parte obiecti cogniti; alias nullus intellectus posset cognoscere singularia materialia, nec noster intellectus quidditates materiales; quod falsum est, in omnium sententia: & licet singularitas in essendo accipiatur à materia, tamen in representando non accipitur à materia; alias nullius intellectus species posset repræsentare singularia materialia.

21. Dices. Ablata forma tollitur effectus; sed ratio formalis singularis est materia: ergo species intelligibilis, quę spiritualis est, non valet repræsẽtare singulare materiale. ¶ Respondetur cõcedendo maiorẽ, & distinguẽdo minorẽ: ratio formalis singularis est materia singularis, *in essendo*, cõcedo minorem, singularis existentis *in repræsentando*, nego minorem, & consequentiam, propter dicta in solutione argumenti.

22. Inquires, (pro complemẽto quęstionis) qualiter cognoscatur vniuersale ab intellectu. ¶ Respõdeo, cognosci reflexe: nã supposita directa cognitione singulariũ, & cognita conuenientia, in illis reperta intellectus efformat species repræsentantem naturam, absque differentijs indiuidualibus, & in hac vniuersale cognoscit: vnde cognitio vniuersalis naturaliter semper supponit cognitionẽ singularium; nam cum cognitio vniuersalis supponit conuenientiam, & similitudinem, necessario etiã debet supponere cognitionem singularium, in quibus talis reperitur conuenientia; vtique quia ignotis singularibus necessario ignoratur illorum conuenientia.

23. Quod verò intellectus possibilis, ex speciebus singulariũ primò cõceptis, valeat formare aliã, vniuersale per se repręsẽtãtẽ, admittitur à Thomistis & cõstat ex D. Th. opus. 43. & 1. p. q. 78. ar. 4. nec non 12. ar. 9. ad 2. vb ait *dicendum quod aliquæ potentiæ cognoscitiuæ sũt, quæ ex speciebus primo conceptis aliam formare possunt, sicut imaginatio, &c.* ergo intellectus possibilis, qui perfectior est alijs potentijs, perfectiori modo, iuxta mentem Diui Thomæ, valebit illas formare.

QVÆSTIO VI.

An intellectio ad actionis vel qualitatis spectet prædicamentum?

§. I.

Prælibantur certiora.

1. ALij Doctores, sub alijs terminis, quęstionẽ hãc excitant, videlicet, an omnes actiones immanẽtes sint de actionis vel qualitatis prędicamẽto? Sed quia eadẽ est ratio de intellectione, & de alijs actionibus immanentibus, ideo de illa, vt perfectiori, excitatur cõtrouersia; tamen quod dictũ fuerit de intellectione, idem (proportione seruata) dicendũ erit de alijs actionibus immanentibus.

2. Sed antequam ad decissionem quęstionis accedamus, suppone vt certum, (cum omnibus fere Doctoribus) intellectionem esse verã & propriam actionem; nũc sit de actionis, nunc de qualitatis prædicamento. Constat hoc ex D. Tho. 8. de veritate, a. 6. vbi sic fatur, *alia vero est actio, quæ non procedit in rem exteriorem, sed stat in ipso agente, vt perfectio ipsius; & hæc propriè dicitur actio.* Constat ratione, nam intellectus

ctus verè & propriè est potentia, nedum passiua, sed actiua; sed potentiæ propriè actiuæ correspondere debet actio vera, & propria: ergo intellectio intellectui correspondens est vera, & propria actio.

§. II.

Conclusio.

3. INtellectio est vera, & propria, actio, de prædicamento actionis. Sic Montesinos. 1. 2. dispu. 3. q. 5. Gonzalez. 1. p. q. 12. ar. 2. disp. 25. sect. 4. n. 49. & alij ex Thomistis. Constat primo ex Aristot. 9. Metap. cap. 9. & etiã 1. Magnorum moralium, cap. vltimo; vbi diuidit actionem prædicamentalem, intransiuentem, & immanentem: ergo iuxta mẽtem Philosophi vtraque est de prædicamento actionis.

Constat secundo ex eodẽ Aristotele: in prædicamentis, cap. de actione & passione. Vbi *dolere, aut voluptate affici*, dicit pertinere ad prædicamentum actionis; sed istæ sunt actiones immanentes: ergo intellectio, quæ essentialiter est actio immanens, propriè spectat ad prædicamentum actionis.

4. Ratione constat primo. Actio de predicamento actionis est actus secundus, seu causalitas agẽtis, media qua producitur terminus; sed intellectio est actus secũdus, seu causalitas intellectus, media qua dicit verbum, seu producit terminum: ergo est vera actio de prædicamento actionis.

Confirmatur. Intellectio, saltim sub expressione dictionis, producit verbum; sed inter verbum, & intellectum loquentem, mediat vera actio; non de prædicamento qualitatis: tum quia alias non esset à verbo distincta, cum hoc sit qualitas: tum quia id quod mediat, inter terminum & agentem, est actio de prædicamento actionis, vt videre est in omnibus alijs actionibus: ergo intellectio dictiua est actio de prædicamento actionis.

5. Dices cum Complutensibus actio de prædicamento actionis petit esse cum motu strictè sumpto; sed intellectio nõ habet secum motum rigorosè dictum; (vt dictum est, 3. Physicorum, dispu. 1. quæst. 1. conclus. 3. §. 5. nu. 22.) ergo intellectio non est actio de prædicamento actionis.

Respondetur negãdo maiorem; nam ad rationem actionis de prædicamento actionis non est opus quod includat motum strictè acceptum, sed quod sit actus secundus, & causalitas agentis, media qua aliquid producat. Ratio huius est; nam motus, vt aliquid viale & incompletum in post prædicamentis collocatum, non spectat ad cõceptum actionis de prędicamẽto actionis; & sic inclusio, vel exclusio motus strictè sumpti per accidens se habet ad actionem de prædicamento actionis.

§. III.

Argumenta quæ obstant.

6. PRimum desumitur à Complutensibus ex Diuo Thoma opusc. 47. cap. 7. vbi de actionibus immanentibus sic fatur. *Hæc autem actio immanens non est directè in prædicamento actionis*: ergo nostra conclusio est Doctori Angelico opposita. Hoc idem dicunt asserere, 1. par. quæst. 18. art. 1. sed in tali loco similia verba non habet, vt intuenti constabit. Ad primum dico, vel opusculum non esse Diui Thomæ, vel loqui de actione immanente pro termino producto, qui qualitas est & non actio.

7. Secundum à ratione sic se habet. Actio immanens, qualis est intellectio, non producit terminum à se inspectum; tum quia verbum, quod est terminus ab intellectione productus, ad intellectionem ordinatur: tum quia intellectus quiescit in intellectione, tanquam in perfectione vltimatè intenta; sed actio de prædicamento actionis producit terminum, quem essentialiter respicit: ergo intellectio non est actio de prædicamento actionis.

Respondetur (iuxta dicta) concedendo maiorem, & minorem, & negando consequentiam; nam ad actionem de prædicamento actionis, abstrahentem ab actione immanenti & transeunte, non est necessarium quod tendat ad alium terminum perfectiorem, sed quod sit via, media qua agens agat; nam hoc quod est producere terminum perfectiorem, ad quem ordinetur, est proprium actionis transeuntis; vt dixi in 3. Physic. loco supra citato.

8. Inquires, pro complemento quæstionis: an verbum sit ab intellectione realiter distinctum?

Respondetur affirmatiue. Nam qualitas realiter est ab actione de prædicamento actionis distincta; sed verbum (in omnium opinione) est qualitas, & intellectio est actio, de prædicamento actionis: (vt constat ex quæstionis decissione) ergo verbum est ab intellectione realiter distinctum.

9. Dices cum Francisco Suarez: intellectio est manifestatio rei ad intellectum; sed hoc fit per verbum seu expressam speciem, cum sit similitudo rei, à qua obiectum denominatur cognitum: ergo intellectio coincidit cum verbo.

Respondetur distinguendo maiorem; intellectio est manifestatio rei, per modum causalitatis actiuæ, concedo maiorem; per modum repræsentationis, nego maiorem, & minorem, in sensu distinctionis. Ad probationem dico, obiectum non denominari cognitum à verbo, cum solum sit ratio in qua cognoscitur, sed ab intellectione, quæ illud in verbo cognoscit.

10. Replicabis: intellectio & verbum

verbum se habent per modum fieri, & facti; sed fieri, & factum esse, nó distinguntur realiter: ergo nec intellectio, & verbum.

Respondetur habere se per modum fieri & facti, in genere effectiuo, in quo genere semper fieri, scilicet actio, distinguitur à facto esse, scilicet à terminuo; etiam si in causis intrinsecis contrarium inueniamus.

QVAESTIO VII.
Et vltima.

An in creatis omnis intellectio sit dictio?

§. I.

Prænotanturaliqua.

1. PRo quæstionis intelligentia nota, quod sicut in diuinis datur intellectio essentialis, & notionalis, includens essentialem, & aliquid amplius scilicet cónotationem ad personam fœcundam, sic in creatis datur intellectio & dictio, includēs intellectionem; vnde intellectio, vt præscindens à conceptu dictionis, non est productio, sed solum contemplatio seu cognitio obiecti: at vero dictio est productio speciei expressæ, seu verbi, in quo contemplatur obiectum.

2. Vnde colliges actionem intellectus dictiui in diuinis supponere, nedum in actu signato, sed exercito, conceptum intellectionis essentialis: at vero in creatis dictio, seu actio intellectus dictiui, solum in actu signato supponit intellectionis conceptum; nam intellectio creata solum in verbo dicto valet contemplare & cognoscere obiectum. Vnde in diuinis, *Pater intelligit vt dicat*; at vero in creatis, *dicit vt intelligat.*

3. Nec obstat, quod D. Thom. dicat, 1. p. q. 27. art. 1. *quod quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligat, producit verbum.*

Non (inquā) obstat; tum quia (vt constabit infra) contrarium asserit pluribus in locis, loquendo de intellectione creata: tum quia hæc propositio non habet sensum *causalem*, sed solum *quasi identicum*; ita vt sensus illius sit, quod intelligens producit verbum; non verò quod, vt intelligēs *formaliter* illud producat; nec etiam quod in creatis intellectus, vt formaliter & in actu exercito intelligens, antecedat dictionem dicentis.

4. Nec valet dicere, quod expressio dictionis, per modum quasi differentiæ; contrahit expressionem intellectionis. Non (inquā) valet; nam licet hoc verum sit, de intellectione per modū actus signati, non verò per modum actus exerciti, quem non habet deffectu speciei expressæ; & ideo in creatis debet dictio productiua verbi anteire.

5. Nec denique obstat, quod nō valeat dici id, quod non est prius conceptum seu intellectum. Nam, licet hoc verū sit de dictione ex-

tertiori vocali, non tamen de interiori, quæ necessaria est ad intellectionem.

6. Rursus suppono vt certum, (ex his quæ solent dici in materia de Trinitate) dictionem non esse actionem realiter distinctam ab intellectione; nam eadem intellectio, quæ in ordine ad obiectum, vt intellectum, importat rationē cōtemplationis, in ordine ad verbum ab ipsa productum, importat rationem dictionis. Vnde omnis intellectio, quæ connotat intellectum continentem vltimam intellectualitatem obiecti, in esse terminatiui, obtinet perfectionē dictionis; & illa quæ connotat intellectum, non continentem talem intellectualitatē, solum obtinet, in creatis, perfectionem intellectionis: non aliter, ac in diuinis intellectio; quæ connotat personam Patris, obtinet perfectionem dictionis, seu actionis notionalis; & intellectio, quæ non connotat hāc personam Patris, solum obtinet perfectionem intellectionis, seu actionis essentialis.

7. Constat hæc nostra suppositio ex Diuo Thoma, loco supra citato, & etiam de veritate, q. 4. a. 2. ad 5. vbi sic decantat vox Angelica: *quod in nobis dicere non solum significat intelligere, sed intelligere, cum hoc quod est exprimere aliquam conceptionem, nec aliter possumus intelligere nisi huiusmodi conceptionem exprimendo.* Quibus verbis duo asserit, & dictionem non esse ab intellectione distinctam, quod est nostrum suppositum; & exercitiū intellectionis dictiuæ supponi ad exercitium intellectionis, quod est corollarium à nobis supra illatum.

8. Constat ratione: verbū mētis, quod reddit obiectum repræsentatiuè intellectum, non valet produci, nisi ab intellectu; sed intellectus solum valet producere, media intellectione: ergo intellectio: & dictio, via identitatis coincidunt, vtique quia intellectio producens, verbum, dictio est formaliter. His elucidatis, sit.

§. II.

Conclusio.

9. OMnis intellectio creata (excepta clara visione Dei) est dictio. Est communis, & & constat ex Diuo Thoma, 4. cōtra Gentes, cap. 11. & 1. p. q. 12. art. 2. & probatur. Intellectus nō valet intelligere, nisi obiectum quod est intra ipsum; cum intellectus, ad distinctionem voluntatis, trahat res ad se, non solum in ratione speciei impressæ, seu obiecti motiui, sed speciei expressæ, seu obiecti terminatiui; cum in expressa, quæ se tenet ex parte obiecti, & non in impressa, quæ se tenet ex parte potentiæ, percipiatur obiectum; sed nullum obiectum creatum, (vt late probant Theologi in materijs de visione & Angelis) valet esse in intellectu per modum speciei expressæ, seu obie-

obiecti terminatiui, licet in esse speciei impressæ, seu obiecti motiui, valeat esse substãtia Angeli, respectu proprij intellectus: ergo omnis intellectio creata debet producere verbum, seu speciẽ expressam, in qua obiectum sit repræsentatiuè actu intellectum: ergo omnis intellectio creata est dictio, cum de essentia dictionis solum sit prolatio verbi.

10. Secunda pars probatur: visio beata, (vt late probant Theologi in materia de visione nõ producit verbum; cum nõ valeat dari similitudo creata, nec expressa, nec impressa Dei: ergo visio beata non est dictio.

11. Etsi inquiras: an visio beata sit productiua, seu dictio de possibili; etiam si de facto non producat: nec sit dictio, quia de facto essentia diuina respectu illius exercet munus speciei expressæ?

Respondeo negatiuè; (quidquid dicant alij) nam visio beata non cõtinet, per modum actus secundi nec lumen gloriæ per modũ actus primi, expressam repræsentationem Dei vt est in se: sed visio beata per se primo est ad visionẽ claram Dei, vt est in se: ergo si ei repugnat talis speciei expressæ continentia, consequenter repugnabit hoc, quod est posse producere, Vnde, si (per possibile vel impossibile) posset intellectus Beati, lumine gloriæ informatus, prorumpere in visionem, absque eo quod essentia diuina gereret munus verbi, absque dubio illud non produceret: ergo signum est, quod talis visio nec de facto, nec de possibili, valet obtinere perfectionem dictionis.

§. III.

Argumenta contra hanc resolutionem militantia.

12. PLũra argumenta theologica, (cum superfluitate non parua) congerunt in præsenti Doctores: quare pro nunc philosophica tantum propono. Primum; visio beata est actio de prædicamento actionis; sed omnis actio de prædicamento actionis debet producere terminum; ergo & visio beata debet illum producere.

Respondetur specialiter concedendo maiorem, & distinguendo minorem; omnis actio debet producere terminum, omnis actio ex se practica, cõcedo minorem; speculatiua; iterum sub distinguo minorem; si obiectũ non valet exercere munus verbi, concedo minorem si valet, nego minorem, & cõsequentiam; nam actio speculatiua, qualis est visio beata, non est factio, seu operatio, sed contemplatio; & sic solum debet terminum, seu verbum operari, quando tale verbum est necessarium ad contemplationem; non vero quãdo non est: vt accidit in præsenti, vbi intra se habet obiectum vnitum, nedum in ratione speciei impressæ sed expressæ.

13. Secundum. Si propter aliquam rationem visio beata non est dictio, maxime quia essentia diuina est Beato, ratione immaterialitatis, intime vnita; sed essentia Angeli est, ratione immaterialitatis, intime vnita intellectui proprio, & tamen eius intellectio est dictio seu productio verbi: ergo ex eo quod essentia diuina sit intime vnita Beatu non sequitur quod eius intellectio non sit dictio.

Responderur distinguendo maiorem; visio beata non est dictio quia est ratione immaterialitatis intime vnita, in ratione obiecti motiui, & terminatiui; concedo maiorem; in ratione obiecti motiui tantum, nego maiorem: & distinguo minorem; essentia Angeli est intime vnita intellectui proprio, in ratione obiecti motiui tãtum, concedo minorem; in ratione obiecti motiui, & terminatiui simul, nego minorem, & consequentiam in sensu distinctionis; nam (vt docent Theologi in materia de visione) ratio quare visio beata non producit verbum, non est quia essentia diuina est intimè vnita in ratione speciei impressæ, seu obiecti motiui; sed quia est etiam intimè vnita in ratione speciei expressæ, seu obiecti terminatiui; qualiter essentia Angeli non est proprio intellectui vnita.

14. Tertium desumitur ex Doctore Angelico. 1. p. q. 27. a. 1. vbi ait, *quicumque autem intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, producit verbum*; ergo ex mente Diu. Thom. omnis intellectio est dictio: ergo & beata.

Respondetur primo cum Carmelitis, D. Tho. loqui de omnibus intellectionibus ordinis naturalis, non vero ordinis supernaturalis, cuius est visio beata.

Secundo potest responderi cum Ioanne à Sancto Thom. quod illa verba *quicumque intelligit, &c.* Non supponit pro omnibus *individuis*, seu pro omnibus *generibus* intelligibilium; ita vt sensus sit, quod in omni natura intelligente datur intellectio, quæ sit dictio.

Tertiò, (& forsan melius, respondetur, Diuum Thomam loqui de intelligente qui in se continet integibilitatem motiuam, & simul intellectualitatem terminatiuam obiecti, non verò de illo qui nullam ex his continet, vt accidit in Beato, respectu visionis Dei, vt est in se.

Iam cursus meta, tanto desiderata labore, perlucet: iam in vltimo rerum creatarum fine in defessus quiescit intellectus: iam cõprehensionis arena ingeniorum agitata rotis calcatur. Igitur vt alter ingeniose decantat: *est namque sumpuosius elogium posteros docuisse calamo.* Fuit ergo calamus mearum elucubrationum lingua, non scribæ, sed Auctoris; articulus manus propriæ (non sine rubore dico) rescripsit indelebile erudi-tionis rescriptum: erustauit nam-

que

que cor meum, (plus quam ingenium) verbum bonum, quod intellectus labor incomposita desudauit theoremata cursu consummato, ad honorem laudem & gloriam indiuiduæ Trinitatis. Pater, & Filius, & Spiritus Sancti, nec non intemeratæ Virginis Mariæ ab omni labe originalis vmbræ immunis. Crucifixi Andreæ. Patris Benedicti. Magistri Anselmi, & Abbatis Adelelmi Burgensis Ciuitatis Patroni.

ORDO

ORDO ET SERIES

LIBRORVM, DISPVTATIONVM, ac quæstionum, Quarti Tomi Cursus vtriusq; Philosophiæ, tàm Rationalis, quàm Naturalis.

LIBER I.

De Ortu, & interitu.

DISP I.

De Generationis natura.

QVæstio I. Quid sit generatio, tàm in communi, quàm in particulari? pag. 1.

Quæst. II. Vtrum generatio vnius sit corruptio alterius? p. 3.

Quæst. III. An in omni generatione substantiali fiat resolutio vsque ad materiam primam? p. 7.

Quæst. IV. A quo radicaliter accipiatur vnitas numerica rerum tàm spiritualium, quàm materialium? pag. 13.

Quæst. V. Vtrum materia vltimo disponatur ad receptionem formæ substantialis per accidentia ab ipsa forma effectiue causata? p. 31.

DISP. II.

De alteratione.

QVæst. I. Vtrum alteratio, sit ab alijs distincta mutationibus? p. 42.

Quæst. II. quomodo qualitates augeantur intensiue? p. 44.

DISP. III.

De nutritione, & augmentatione.

QVæst. I. Vtrum nutritio sit ab augmentatione realiter distincta? p. 47.

LIBER II.

Generationis.

DISP.

DISP. I.

De elementis, & eorũ qualitatibus.

QVæst. I. Vtrum elementa sint tantum quatuor? p.48.
Quæst. II. Vtrum qualitates primæ sint tantum quatuor? p.50
Quæst. III. Qualiter primę qualitates se habeant in elementis? p.51.

DISP. II.

De mixtionibus.

QVæst. I. In quo distinguatur mixtio a mixti generat? p.53
Quæst. II. Vtrum elementa formaliter vel virtualiter solum maneant in mixto? p.57.

LIBER I.

Et secundus de anima.

DISP. I.

De quidditate animæ in communi.

AN prima animę definitio, ab Arist. tradita sit exacta? p.59.
Quæst. II Incidens an hæc definitio rationali, vt rationali competat animæ? p.63.
Quæst. III. An secunda animæ definitio, ab Aristotele tradita sit legitima? p.65.
Quæst. IV. Quod sint genera animarum? quod vitæ? quod ve potentiarum animæ? p.66.
Quęst. V. An anima omnes corporis informet partes? p.70.
Quæstiun. prima incidens. An dẽtes semẽ, & lac femineum informentur ab anima? p.74.
Quæstiuncula secunda. An vngues & capilli informentur ab anima? p.74.
Quæst. VI. An anima quoad omnes suos gradus, omnes partes corporis informet? p.75
Quæst. VII. Qualis sit continẽtia vegetatiuæ, in sensitiua & sensitiuæ in rationali? p.77.
Quæst. VIII. An omnes animæ sint indiuisibiles? p.80.

DISP. II.

De potentijs animæ in communi.

QVæst. I. An potentiæ specificentur, per actus & obiecta? p.82.
Quæst. II. An potentiarum specifica

cifica vnitas debeat accipi ab obiectis in esse rei, vel in esse obiecti considerati? p. 85.

Quæst. 3. An ratio formalis obiectiua seu, sub qua vnius scientiæ valeat contrahi formaliter ab alia alterius scientiæ? p. 87.

Quæst. 4. Ex quo accipiatur vnitas tam generica, quam specifica rationis formalis sub qua? p. 88.

LIBER III.

De anima.

DISP. VNICA.

De intellectu humano.

Quæst. 1. Quod nam sit nostri intellectus obiectū proportionatum? p. 93.

Quæst. 2. An ad obiecti intellectionem species impressa sit necessaria? p. 96.

Quæst. 3. qualiter ad productionem speciei intelligibilis cōcurrat cum intellectu agente phantasma? p. 97.

Quæst. 4. An species intelligibilis concurrat effectiue cum intellectu possibili ad intellectionem? p. 100.

Quæst. 5. An species intelligibiles ab agente impossibili productæ intellectu repræsentēt per se primo singularia materialia? p. 102.

Quæst. 6. An intellectio ad actionis, vel qualitatis spectet prædicamentum? p. 105.

Quæst. 7. An in creatis omnis intellectio, sit dictio? p. 107.

ELEN-

ELENCHVS COPIOSISSIMVS RERVM, AC VERBORVM, quæ in libris de generatione, & corruptione, seu de ortu, & interitu continentur.

OBserua in hoc indice littera maiuscula, L. *libros designari*, D. *disputationes*, Q. *quæstiones*, §. *quæstionum diuisiones.*

Primus Arithmus indicat libri, vel disputationis numerum; secundus numerum quæstionum, tertius paragraphi numerum; quartus numerus marginalem paragraphi.

Abstractio.

CAlor abstractus ab igne, & ab homine eandem habet perfectionem, l. 1. d. 2. q. 2. §. 3. n. 18.

Accident.

Omnia accidentia materialia in toto subiectantur composito, l. 1. d. 1. q. 3. §. 3. n. 14.

Hæc indiuiduantur *vt quod* à toto composito, & *vt quo* a materia quantitate signata, ibi. q. 4. §. 16. per totum.

Accidentia eiusdem speciei valent dimanare ex principijs essentialiter diuersis, l. 2. d. 2. q. 2. §. 2. n. 7.

Actio, passio, & motus.

Nulla actio valet per se primo terminari ad non esse, l. 1. d. 1. q. 2. §. 6. num. 17.

Actio practica.

Noua termini expressio sufficit ad actionem practicam terminandam, l. 1. d. 2. q. 2. §. 4. n. 19.

Agens.

Producit in subiecto qualitatem, quoad entitatem, & intensionem entitatiue sumptam, l. 1. d. 2. q. 2. §. 3. n. 14.

Alteratio.

Essentialiter, & realiter est, ab alijs distincta mutationibus, l. 1. d. 2. q. 1. §. 2. n. 2.

Qualiter differat ab intensione, ibi. q. 2. §. 1. n. 2.

An-

Angelus.

Substantiæ Angelorum indiuiduantur per se ipsas, l.1.d.1.q.4.§.2.n.9.

Vide indiuiduationis principium.

Augmentatio.

Stricte sumpta definitur & explicatur, l.1.d.3.q.1.§.1.n.4.

Causa.

Qualiter causa causæ, sit causa causati, l.1.d.1.q.5.§.16.n.59.

Causa efficiens.

In signo causæ effectiuæ nec intelligitur, nec presuponitur receptio, l.1.d.1.§.9.n.32.

Cœlum.

Raritas, & densitas in cœlis reperta, non sunt qualitates alterabiles, l.2.d.2.q.2.§.2.n.7.

Compositum.

Est principium *quod* dispositionum, l.1.d.1.q.5.§.9.n.32.& §.11.n.40.

Continentia.

Tripliciter vna res valet in alia contineri, l.2.d.2.q.2.§.1.n.1.

Deus.

Non valet gerere vices luminis Gloriæ, l.1.d.1.q.5.§.9.n.23.

Dispositiones remotæ antecedunt generationis instans, l.1.d.1.q.5.§.7.n.19.

Dispositio proxima, & vltima.

Habet cum forma iam necessariam conexionem, vt non valeat esse, nec pro vno instanti in subiecto sine forma ad quam disponit, l.1.d.1.q.5.§.1.n.1.

Primus modus defendendi mutuam causalitatem inter dispositionem vltimam & formam proponitur & impugnatur, ibi.§.3. per totum.

Secundus profertur, & refellitur, ibi.§.4.per totum.

Tertius proponitur, & refutatur, ibi.§.5.per totum.

Quartus stabilitur, & impugnatur, ibi.§.6.per totum.

Dispositio proxima.

Est in ipso generationis instanti, ibi.§.7.n.19.

De facto datur mutua causalitas inter dispositionem, & formã, ibi.§.8.n.25.

Mens propria autoris esse mutuam causalitatem, ibi.§.9.n.30.

Elementa.

Esse plura ab omnibus stabilitur, lib.2.d.1.q.1.§.1.n.1.

Tantum sunt quatuor scilicet ignis, aer, aqua, & terra, ibi.§.2.n.2.

Non exigunt ex se, quatuor primas qualitates; sed duas vnam in summo, & aliam prope summum, l.2.d.1.q.3.§.2.n.5.

Sunt amixtis distincta, ibi.n.6.

Exposcunt simplicitatem, ibi.n.7.

In

In omni elemento datur duplex appetitus, & duplex qualitas, ibi. nu. 8.

Non formaliter, sed virtualiter manent in mixto, l. 2. d. 2. q. 2. §. 3. n. 5

Virtualiter transeunt ad mixtum denuo productum, ibi. n. 11.

Elementi definitio, ibi. §. 14.

Elementum dicitur, non absolute; sed secundum quid corpus simplex, ibi. n. 16. vide mixtio.

Forma substantialis.

Nec ex se, nec a se, est indiuidua, nec prima radix indiuiduandi cõpositum, l. 1. d. 1. q. 4. n. 24.

Valet accipi in ordine ad subiectum quem informat, & in ordine ad proprietates quas causat, l. 1. d. 1. q. 5. §. 7. n. 20.

Forma educta de potentia materiæ valet duobus modis, ad causam comparari effectiuam, ibi. n. 23.

Inter formam substantialem, & vltimam dispositionem datur mutua causalitas, ibi. §. 8. n. 25.

Forma substantialis, est principium *quo* dispositionum, ibi. §. 9. n. 32.

In signo, in quo, forma substantialis causat debet intelligi, vt virtus intrinseca principij *quod*, ibi. n. 34.

Forma, vt informat materiam, & cõstituit compositum se habet, vt causa materiæ, & compositi, ibi. n. 34.

Qualiter causet in concreto, ibi. §. 10. n. 38. & 39.

Quomodo debeat intelligi extra eductionem, vt sit, principium dispositionum, ibi. §. 13. per totum.

Qualiter se habeat, vt causa effectus, ibi. §. 14 per totum.

Esse formæ quod à dispositionibus dependet, non est, indispensabiliter requisitum ad operandũ, ibi. 15. n. 58.

Forma substantialis, non gaudet augmento intensiuo, ibi. n. 17.

Formæ substantiales elementorum, non sunt quatuor primę qualitates, l. 2. d. 1. q. 3. §. 1. n. 12. & 13.

Forma accidentalis.

Virtualiter multiplex absque aliqua entitate, vel modo superaddito valet magis, ac magis actuare subiectum; vsque dum totaliter ei communicetur, l. 1. d. 1. q. 5. §. 3. n. 15.

Generatio, vt sic.

Est mutatio totius in totum nullo sensibile manente, l. 1. d. 1. q. 1. §. 1. n. 1.

Hæc non abstrahit à creata, & in creata; sed solum a creatis, ibi. n. 2.

Generatio viuentium.

Est origo viuentis à principio viuenti coniuncto, seu secundum rationem similitudinis, in natura eiusdem speciei, l. 1. d. 1. q. 1. §. 2. n. 3.

Discrimen; quod versatur inter generationem Verbi, & spirationem Spiritus Sancti, ibi. §. 3. n. 4.

Si

Si generatio vnius formæ & corruptio alterius accipiantur physice pro reali mutatione de prædicamento passionis, non sunt duæ mutationes realiter distinctæ; sed vna quatenus, per ordinem ad terminum primarium dicitur generatio, & per ordinem ad secundariũ corruptio, ibi. q. 2. §. 4. n. 8.

Inter terminos generationis & corruptionis, non datur realis ordo, ibi. §. 6. n. 8.

In generatione substantiali fit resolutio vsque ad materiam primam, ibi. quæstione 2. n. 6.

Naturaliter ad corruptionis subiecti omnia corrumpuntur accidentia, ibi. n. 9.

Indiuiduationis principium.

Stat dupliciter, & pro principio formali, & pro radicali, l. 1. d. 1. q. 4. §. 1. n. 1.

Formale totius compositi accipitur, ab hac materia, & ab hac forma, ibi. n. 2.

Formale vsurpatur à Ioanne Gonzalez de Albelda, & à Salmãticensibus, pro integro & adæquato, sed non bene, ibi.

Formale totius compositi, non venatur ex hac forma, & ex qualibet materia, ibi. n. 3.

Deus optimus maximus est singularis, per suammet summè simplicem & actualem entitatem, ibi. §. 2. n. 8.

Substantiæ Angelorum indiuiduantur, per se ipsas, ibi. n. 9.

Vnitas numerica Angelorum; cum fundatur in re, distinguitur ab specifica, ibi.

Non omnis vnitas numerica materialis est, ibi.

Vnitas numerica vt sic, non à materia, sed a primo principio dimanat incommunicabilitatis, ibi.

Conceptus genericus Angelorum, sine materia valet indiuidualiter multiplicari, ibi.

Triplex quantitatis conceptus, ibi. §. 3. n. 11.

Qualiter quantitas, sit a se indiuidua, ibi. n. 12. & 13.

Aliud est formam esse in se, & aliud esse a se, seu ex se indiuiduam, ibi. §. 5. n. 23.

Forma substantialis, nec ex se, nec a se, est indiuidua nec prima radix indiuiduandi compositum, ibi. n. 24.

Qualiter materia dicatur positiue & negatiue vna, ibi. §. 6. n. 36.

Materia prima secundum se, nõ est positiue indiuidua nec primum indiuiduationis principium, ibi. n. 40.

Quid intelligatur per materiam quantitate signatam & quomodo, sit indiuiduationis principium, ibi. §. 9. n. 53.

Primus modus impugnandi, hac sigillatione impugnatur, ibi. n. 54. 55. & 56.

Secundus modus explanandi, hanc sigillationem explicatur & impugnatur, ibi. §. 10. n. 57.

Tertius modus etiam refertur, & refellitur, ibi. §. 12. n. 67. & 68.

Propria mens aperitur, ibi. §. 13. per totum.

Materia ratione potentiæ re-

motæ, non est primum indiuiduationis principium, ibi.n.74.

Quantitas in materia ad sigillationem necessaria dupliciter valet vsurpari, ibi.n.75.

Materia per se primo respicit actum substantialem medio accidentali, ibi.n.76.& 77.

Indiuiduatio non debet resolui in dispositionem tanquam in rationem formalem, & causam propriam, sed ad summum tanquam in conditionem ad sigillationem requisitam, ibi.n.84.85.& 86.

Primum indiuiduationis principium compositi substantialis nõ coalescit ex collectione omnium accidentium, ibi. §.15.n.87.

Nec existentia, nec subsistentia est substantiæ materialis indiuiduationis radix, ibi.n.89.

Primum indiuiduationis accidentium materialium principium vt *quod* est subiectum ipsorũ formaliter sumptum, & primum vt quo est materia quãtitate signata, ibi.§.16. per totum.

Informatio.

Est à receptione distincta, l.1. d.1.q.5.§.7.n.23.

Est præsuppositio necessaria au signum causæ effectiuæ, ibi. §. 9.n.32.

Est de conceptu essentiali virtutis intrinsecæ, ibi,n.34.

Est indispensabiliter prærequisita in forma substantiali per modum prædicati quasi trascendẽtalis, & non per modum naturæ ad hoc vt forma effectiue causet, ibi.

Discrimen quod versatur inter receptionem & informationem in ordine ad prioritatem, in qua forma suas producit proprietates, ibi.n.35.

Intensio qualitatis.

Augmentum qualitatis diuiditur in extensiuum, & intensiuum, l.1.d.2.q.2.§.1.n.1.

Varij modi explicandi intẽsionem qualitatis impugnatur, ibi.§. 2. per totum.

Intensio fit per maiorem radicationem, seu actuationem qualitatis in subiecto, ibi, §.3.n.14.

Actio intensiua supponit in subiecto qualitatem quoad entitatẽ, & quoad intensionem entitatiuè sumptam, vt illam absque productione nouæ entitatis intẽdat, ibi.

Materia prima.

Secundum se nec est positiue indiuidua, nec primum indiuiduationis principiũ, l.1. d.1.q.14. §. 6.nu.40.

Quid intelligatur per materiam quantitate signatam, & quomodo sit indiuiduationis principium, ibi, §. 9.n.53.

Vide indiuiduationis principiũ.

Mixtio.

Multipliciter vsurpatur, l.2.d. 2.q.1.§.1.n.1.

Plura sunt ad mixtionem necessaria, ibi.§.2.n.2.

Non datur nisi miscibilia quæ mutuo valent agere & pati, ibi. nu.3.

Dis-

Distinguitur ab absoluta generatione mixti, ibi. §.3.n.5.

Ad mixtionem nõ sufficit quæcumquè vnio, sed materiarum quę erant sub oppositis, & diuersis formis, ibi.n.6.

Ad mixti productionem elementa concurrunt efficienter instrumentaliter, ibi, n.11.

Non tamen efficienter proportionaliter, ibi.§.4.n.7.

Mixti definitio, ibi, q.2.§.3. n.7.

Qualiter corpus mixtum resoluatur in elementa, ibi.§.5.n.17.

Vide elementa.

Nutritio.

Sumpta definitur, & explicatur, l.1.d.3.q.vnica, §.1.n.1.

Est essentialiter distincta ab augmentatione, ibi.§.2.n.5.

Et ab augmentatione valet separari, ibi.n.9.

Primum.

Dicitur negatiue, & positiue, l.2.d.1.q.2.§.1.n.1.

Et primum positiue tale etiam dupliciter valet vsurpari, ibi, nume.2.

Priuatio.

Nõ est essentialiter principium entis naturalis nisi tale ens naturale sit permutationem physicam factum, l.1.d.1.q.4.§.1.n.1.

Prioritates in quo & *a quo.*

Maximè differunt, l.1.d.1.q.3.§.7.n.21.

Non tantum inter causam & effectum, sed etiam inter quatuor causas dantur rationes priores, & posteriores, ibi.n.22.

In prioritate in *quo* omnia sunt simul secus vero in prioritate à *quo*, ibi.n.24.

Qualitas.

Subiecto capaci communicata solet illud non actuare secundum omnem intensionem quam in se habet, l.1.d.2.q.2.§.3, n.1.

Qualitas in abstracto non valet intendi, nec dici intensior, ibi. §.4.n.20.

Eadem qualitas secundum speciem valet exigi a diuersis essentijs, l.2.d.2.q.2.§.3.n.11.

Qualitates primæ.

Quatuor modis valent reperiri in subiecto sine cõtrario, l.2.d.1. q.1.§.2.n.4.

Vocantur alterabiles, ibi. q.2. §.2.n.2.

Non sunt primæ in genere qualitatis, ibi,n.3.

Solum sunt primæ in specie qualitatis alterantis cum oppositione, ibi, §.2.n.4.

Non supponunt alias in subiecto licet aliæ has supponant, ibi. n.5.

Non sunt primæ in genere perfectionis, ibi.n.6.

Reperiuntur in mixtis refractæ, & ad debitum temperamentum redactæ ibi, q.3.§.1.nu.4.

Quantitas.

Vide elementa.

In determinata non coincidit

cum quantitate in differenti, nec terminata, cum determinata, l. 1. d. 1. q. 4. §. 13. n. 81.

Quantitas partialis, non vt est proprietas concreta substantiæ; sed vt fundat relationem maioritatis est terminus primarius augmẽtationis, ibi. §. 3. q. vni. §. 2. n. 7.

Scientia.

A Christo Domino, & ab alio homine separata ex se eandem seruat latitudinem, l. 1. d. 2. q. 2. §. 4. n. 21.

Terminus.

Noua termini expræssio seu cõnotatio sufficit, vt dicatur terminus factus seu productus, l. 1. d. 2. q. 2. §. 4. n. 19.

ELEN-

ELENCHVS COPIOSISSIMVS RERVM, AC verborum, quæ in libris de anima continentur.

Abstractio.

TRiplex gradus abstractionis reperitur in obiectis, l.1.d.a. q.4.§.1.n.7.

Abstractio amateria consideratur per modũ cuiusdam motus, vbi datur terminus *à quo*, & ad quẽ, ibi.n.4.

Diuiditur abstractio, in actiuã & passiuam, ibi.n.4.

Scientiæ valent esse sub eadem abstractione, ex parte termini *à quo*, non vero ex parte termini ad quem, ibi.§.4.n.15.

Accidentia.

Solo numero distincta valent esse in eodem subiecto quando indiuiduantur a subiecto, & ab alio extrinseco, l.3.d.1.q.2.§.2.n.8.

Actus.

Diuiditur a Philosopho, in primum & secundum, nunc sit in genere effectiuo, nunc in formali, l.1. d.1.q.1.§.2.n.2.

In genere effectiuo actus primus est principium, siue radicale, siue formale operationis, & secundus est ipsa operatio, ibi.

Valet forma dici actus primus absolute, & comparatiue, ibi.n.3.

Actus diuiditur, in assistentem, & informantem, ibi.n.4.

Actus informans & non assistens, est proprius animæ, ibi.n.5.

Actus secundus valet in sentẽtia Caietani, in esse rei, & in esse actus vsurpari, ibi.n.7.

Actus primus est, secundo perfectior, ibi.n.8.&.9.

Actus secundus, non ratione sui, sed ratione primi præsuppositionem tollit potentialem, ibi.n.10.

Actus primus substantialis aufert à subiecto potẽtialitatem simpliciter dictam, & secundus, siue comparatiue, siue simpliciter talis solum secundum quid, ibi.n.11.

Actus primus scilicet anima, est in genere substantiæ secundus vero, siue secundum, siue simpliciter dictus in genere accidentis, ibi.

Actus primus secundum quid ordinatur, ad secundum simpliciter talem tanquam ad finem effectum, ibi.n.12.

Qualiter actio specificetur, ab agente, ibi.d.2.q.1.§.2.

Actus sunt potentijs posteriores in genere causæ effectiue, priores vero in genere causæ formalis extrinsece, ibi.§.4.n.13.

Actus, vt includit formalitates actionis passionis, & motus specificat potentiam, ibi.n.18.

Alimentum.

Parum decoctum, non informatur ab anima, l.1.d.1.q.5.§.3.n.13.

Angelus.

In Angelis a diuersitate specifica principij radicalis ad diuersitatem specificam potentiarum valet consequentia, aliter tamen in animabus, l.1.d.1.q.7.§.3.n.20.

Substantiæ Angelorum saltim abstractiue spectant ad obiectum proportionatum nostri intellectus, in statu immersionis considerati, l.3.d.1.q.1.§.2.n.7.

Essentia Angeli est proprio intellectui, vnita in ratione obiecti motiui, non vero in ratione terminatiui, ibi.q.7.§.3.n.13.

Anima.

Animã esse omnes supponunt, l.1.d.1.q.1.§.1.n.1.

Diuersimode fuit accepta ab antiquis, ibi.

Eius definitio, ibi.

Qualiter conueniat animæ ratio actus, ibi.§.2.n.5.

Quomodo anima, sit actus primus, ibi.n.6.

Anima non ordinatur ad accidens, ibi.n.12.

Anima non solum per modum essentiæ; sed etiam per modum naturæ, est per primam definitionem à Philosopho essentialiter definita, ibi.§.6.n.26.

Animæ rationali, vt rationali, competit animę definitio, ibi.q.2.§.1.n.3.& 4.

Et etiam animæ sensitiuę, vt sensitiuæ, ibi.n.5.

Anima non solum est radix intellectus, & voluntatis; sed etiam fletus, & risus, ibi.§.2.n.9.

Anima rationalis etiam si spiritualis, sit valet recipi in materia, non tamen potẽtiæ spirituales, ibi.

Secundo definitur anima à Philosopho, per hoc quod sit principium quo viuimus, sentimus, mouemur & intelligimus, ibi. q.3.§.1.n.1.

Hæc definitio animæ in cõmuni, non conuenit, ibi.

Iuxta mentem Philosophi, non potest animæ rationali competere, ibi.n.2.

Omnes gradus animæ fuerunt, in hac definiti definitione, ibi.

In particula scilicet viuimus, non intellexit Philosophus, animam vt sic, sed solum vitam vegetatiuam, ibi.

Legitimus huius definitionis sensus, ibi.n.3.

Est essentialis animæ, non per modum essentiæ, sed per modum naturæ, ibi.§.2.n.4.

Communiter asignant Doctores, tres animas generice distinctas, quatuor gradus vitæ & quinquæ potentias, ibi.q.4.§.1.n.1.

Forma quæ habet operationẽ, supra operationes rerum in animatarum elebatam animę obtinet perfectionem, ibi.n.2.

Diuisio animæ in vegetatiuam sensitiuam & rationalẽ, est quasi generis supremi in genera intermedia seu in species subalternas, ibi.n.4

Tria

Tria sunt genera animarũ. ib. §.2.n.6.

Iuxta mẽtem Angelici præceptoris tria sunt genera animarum, quatuor vitæ, & quinque potentiarum, ibi.q.4.§.2.n.18.

Anima valet partes contiguas, non continuas informare, ibi.q. 5.§.3.n.15.

Dentes informantur ab anima quæstiuncula, §.1.n.25.

Semen & lac fœmineum, non informantur ab anima, ibi.§.2.n.26.

Vngues & capilli informantur ab anima, quæstiunc.2. §.1.n.25.

Salina non informatur ab anima, ibi.§.2.n.30.

Anima secundum omnes suos gradus substãtiales informat omnes partes animales, ibi.q.6.§.1. à n. 2. vsq; ad quintum exclusiue.

Quam plurima desiderantur ad hoc, vt anima in actu secundo, sentiat, quam ad hoc vt sit sensitiua, ibi.§.1.n.10.& 11.

Qualiter ad esse animæ sequantur potentiæ, ibi.n.12.& 13.

Anima per modum essentiæ, seu in genere causæ formalis, est in omnibus partibus corporis, secus vero per modum naturæ, seu in genere causæ effectiuæ, ibi.n.15.

Anima sensitiua, & vegetatiua.

Valent dupliciter accipi, l.1.d.1. q.7.§.1.n.3.

Vegetatiuum animalis specie distinguitur à vegetatiuo plantæ, ibi.§.2.n.11.

Anima vegetatiua est inclusa in sensitiua, sicut gẽnus est inclusum in speciebus, ibi §.3.n. 16.

Animæ plantarum, & imperfectorum animalium sunt extensæ, vt diuisibiles, ibi.§.2.n.7.

Qualiter educantur, ibi. §.3.n. 12.13.& 14.

Anima rationalis.

Continet formaliter gradus vegetatiui, & sensitiui generice acceptos, l.1.d. 1.q.7.§.2.n.4.

Eminenter vero eosdem specifice acceptos, ibi.

Esse formaliter, vt *quod* corporea, ibi.n.7.

Operationes materiales non commensurantur cum principio *quo* videlicet cum anima rationali, quæ spiritualis est, sed cum principio quod videlicet cum homine qui materialis est, ibi.nu.8.

Ratione propriæ differentiæ continet eminenter gradus sentiendi, & vegetandi, ibi.n.9.

Non solum perficit gradus superiores in linea seu gradu superiori, sed etiam intra propriam lineam, ibi.n.10.

Valet per modum causæ principalis effectiuæ causare animas sensitiuas, & vegetatiuas, ibi. nume.13.

Anima sensitiua est inclusa in rationali sicut genus est in speciebus inclusum, ibi.§.3.n.16.

Anima rationalis est formaliter indiuisibilis, ibi.q.8.§.1.n.2.

In diuersis partibus valet moueri & quiescere, ibi.n.4.

Anima rationalis est obiectum proportionatum nostri intellectus, pro hoc statu immersionis, l.3.d. 1.q.1.§.2.n.10.

Animata.

In rebus animatis triplex datur perfectio, per ordinem ad operationem, l.1.d.1.q.4.§.1.n.2.

Qualiter animalia perfecta à motu gaudeant progressiuo, ibi.n.3.

Beatitudo.

Consistit in actu visionis etiam si, sit imperfectior intellectu lumine gloriæ informato, l.1.d.1.q.1. §.2.n.13. *Calor.*

Qui est in igne, non distinguitur specie a calore qui est in animali, l.1.d.1.q.7.§.2.n.11.

Qui est in animali, per se secundo generat carnes, ibi.

Capilli.

Informantur ab anima, l.1.d.1. quæstiuncula 2.§.1.n.29.

Spectant ad perfectionem corporis, per se secundo, ibi.n.32.

Cognitio.

Quidditatiua in gradu immaterialitatis, non exigit conuenientiam in esse rei cum obiecto; sed solum in esse obiecti, secus vero comprehēsiua, l.3.d.1.q.1.§.3.n.12.

Continentia.

Est duplex formalis vna, & virtualis alia, l.1.d.1.q.7.§.1.n.1.

Formalis etiā est duplex, ibi.n.2

Corpus.

Diuiditur in artificiale mathematicū, & physicū, l.1.d.1.q.1.§.3.n.16.

Physicum partitur in prædicamētale, & transcēdētale, ibi.n.17.

Nomine corporis in definitione animæ positi, non venit corpus præmicamentale, seu materiam actiua tā anima secundum gradum corporeitatis, ibi, n.18. & 19.

Nomine corporis in definitione animæ perfixi non intelligitur ipsa anima, & constituens corpus, ibi.n. 20.& 21.

Corporis nomine intelligitur corpus transcendentale, seu materia prima, ibi.n.22.

Corpus organicū in definitione animæ appositum non accipitur vt voluit Scotus pro materia prima forma substantiali corporea informata, ibi.§.4.n.26.

Nec etiam pro anima ipsa in quantū constituit corpus, vt voluit Ioannes à S. Thom.n.27.

Nec denique pro materia gradu corporis informata, vt voluit Caietanus, ibi.n.24.

Sed pro materia prima varijs dispositionibus proximis affecta, ibi.n.29.30.31.& 32.

In definitione animæ ly *habentis* non appellat supra ly *actus*, sed supra ly corporis exigentis vitam, ibi, §.5.n.34.

Corpus organicum ad distinctionem non organici exigit animam, ibi.

Deus.

Est infinite perfectus nedum in gradu intellectualitatis, sed etiam in ipso intellectu, & in ipsa intellectione, l.1.d.1.q.1.§.2.n.11.

Quoad animę est obiectum proportionatum intellectus humani in statu immersionis considerati, l.3.d.1.q.1.§.2.n.6.

Diffe-

Differentiæ.

Etiam si accipiantur *vt quod* à toto composito, & *vt quo* à tota anima, tamen non accipiuntur ab ipsa totaliter, & adæquatè, l. 1.d. 1.q.7.§.3.n.16.

Sàt omnino simplices, ibi, n.21.

Essentia Diuina.

Est Beato vnita nedum in ratione obiecti motiui, sed etiã terminatiui, l.3.d.1.q.7.§.3.n.13.

Finis.

Diuiditur in finem intentum, & in finem effectum, l. 1.d. 1.q.1.§. 2. n.12.

Finis intentus est perfectior rebus ad illum ordinatis, è conuerso vero finis effectus, ibi.

Habitus.

Vt potentiæ eandem respiciunt rationem *quæ*, sed non eodem modo, l.1.d.2.q.1.§.4.n.15.

In animata.

Per ordinem ad operationem triplici gaudent imperfectione, l. 1, d.1.q.4.§.1.n.2.

In materialitat.

Est principiũ intellectualitatis & intelligibilitatis, l. 1.d.2.q.4. §. 1.n.3.

Ab in materialitate summitur vnitas tã generica, quã specifica rationis formalis *sub qua*, ibi.§.3.n.11

Per in materialitatem constituitur obiectum in linea intelligibili, ibi.n.13.

Intellectus.

Est in omnibus partibus hominis etiam si omnes non intelligãt. l.1.d.1.q.6.§.2.n.16.

Angeli est ab intellectu hominis specifice distinctus, ibi.d. 2.q. 2. §.2.n.13.

Obiectum nostri intellectus est duplex, l.3.d.1.q.3. §.1. n.1.

Obiectum proportionatum nostri intellectus, valet naturaliter in triplici statu considerari, ibi. n.2.

In intellectu datur duplex ratio vna per modum coaptationis, & alia per modum quãtitatis virtualis, ibi.n.3.

Obiectum proportionatum nostri intellectus, pro hoc statu immersionis, est omne ens quod potest repræsentari per species acceptas à sensibus nũc medijs his percipiãtur perfectè vel imperfectè explicite aut cõfuse in se vel ad proportionẽ aliarũ rerũ, ibi.§. 2.n.5. Singulare est obiectum proportionatum nostri intellectus, ibi.

Male asignantur quidditates materiales pro obiecto proportionato nostri intellectus, ibi.n.8.

Obiectum proportionatum nostri intellectus in statu separationis est omne ens naturale, in statu vero Beatitudinis ens in tota sua latitudine, ibi, §.3.n.11.

In statu Beatitudinis obiectũ proportionatum coincidit cũ adæquato, ibi.

Intellectui separato deficiunt species non vires ad cognitionem actus liberi, ibi.n.13.

Sẽsationes sẽsuũ intrinsece nõ determinãt intellectũ ibi.q.2.§.2.n.6.

Intellectus diuiditur in agentẽ & possibilem, ibi.q.3.§.1.n.2.

Intellectus agens.

Concurrit efficienter ad productionem speciei intelligibilis, l.3.d.1.q.3.§.1.n.1.

Ex se, sine phantasma est indifferens, ibi.

Est virtus qua sensibilia & materialia fiunt intelligibilia, ibi. n.2.

Ex se nō est cognoscitiuus, ibi.

Concurrit instrumentaliter ad productionem speciei intelligibilis, ibi.§.3.n.9.

Qualiter determinetur à phantasmate, ibi, n.15.16.& 17.

Virtualiter cōtinet in se omnes species intelligibiles, ibi. n. 18. & 19.& §.5.n.26.

Quid accipiat a phātasma, & quid relinquat in illo, q.5.§.2.n.10.

Intellectus possibilis.

Est virtus specierum intelligibilium receptiua, l.2.d.1.q.3.§.1.n.2

Virtualiter cōtinet oēs obiectorū repręsētationes, ib.q.4.§.3.n.11

Qualiter in opinione thomistarū cognoscat singularia materialia per conuersionem ad phantasma. ibi, q.5.§.1.n.4.vsque ad 8.

Ex speciebus singularium valet formare aliam vniuersale per se repræsentantem, ibi.§.3.n.23.

Intellectio.

Est vera & propria actio, l.3.d.1.q.6.§.1.n.2.

Est vera actio de prædicamento actionis, ibi.§.2.n.3.

Sub expræssione dictionis producit verbum, ibi.n.4.

Qualiter fit manifestatio rerū, ibi.§.2.n.9.

In diuinis, & in creatis datur intellectio essentialis, & notionalis, ibi.q.7.§.1.n.1.

In diuinis tam in actu signato, quam in exercito supponit intellectio notionalis essentialem, ad vero in creatis solum in actu signato supponit notionalis essētialem, ibi.à.n.2.vsque ad 6.

Dictio non est actio ab intellectione distincta, ibi.à.n.6.vsq; ad 9.

Omnis intellectio creata, excepta clara visione Dei, est dictio, ibi.§.2.n.9.

Materia prima.

Est corpus in definitione animę explicatum, l.1.d.1.q.1.§.3.n.23.

Est corp' trāscēdētale, ibi.n.24.

Est in obliquo de essētia animę, ibi.25.

In genere causæ materialis datur duplex causa, l.3.d.1.q.3.§.3.n.10.

Motus.

Tripliciter valet aliquid mouēri ab alio, l.1.d.1.q.4.§.1.n.1.

Tripliciter etiam valet aliquid mouēri à se, ibi.

Non est de essentia actionis, l.3.d.1.q.6.§.2.n.5.

Obiecta.

In esse rei specifice distincta valent in esse obiecti specifice adunari, l.1.d.2.q.1.§.4.n.16.

Possunt accipi in esse rei, & in esse obiecti, q.2.§.1.n.3.

Datur in illis vnitas subsequta ad rationem *qua*, & etiā alia ad rationem sub *qua* subsequta, ibi.n.4.

Vnitas analoga obiecti nō sufficit ad vnitatem specificam potētiæ, ibi.n.6.

In obiectis ratio *quæ*, est saltim virtualiter à ratione sub qua distincta, ibi, §.2.n.8.

Ratio *qua* obiecti sine ratione sub *qua* non est formaliter attingibilis à potentia, ibi. n.9.

Ratio *sub qua*, est *vt quo* visibilis à potentia, ibi.n.10.

Potentiæ passiuæ obiectum in esse obiecti est ab obiecto potētiæ actiuę distinctū, ibi.q.2.§.2.n.15.

Actus

Actus, habitus, & potentia in esse obiecti diuersum in specie respiciunt obiectum, ibi. n. 16.

In obiecto ratio formalis *sub qua* vnius scientiæ formaliter non cõtrahitur per rationem formalẽ *sub qua* alterius scientiæ, ibi. q. 3. §. 1. n. 2

Sub obiecto intellectus sunt in esse Dei non vero in esse obiecti contenta obiecta aliarum scientiarum, ibi. §. 2. n. 4.

In omni obiecto reperitur duplex ratio formalis *sub qua*, ibi. q. 4. §. 1. n. 2.

A posteriori ex diuersis in specie *principij* colligitur diuersitas specifica obiecti, ibi. §. 4. n. 21.

Obiectũ *in esse obiecti* explicatur per ordinem ad potentiam non tamen constituitur per denominationem ab illa sumptam, ibi. n. 22.

Ratio formalis *sub qua* semper est obiecto intrinseca, ibi.

Ostensio extrinseca obiecti nõ sufficit ad secundandum intellectum, l. 3. d. 1. q. 2. §. 2. n. 5.

Phantasma.

Illuminatur ab intellectu agẽte ad speciei intelligibilis productionem, l. 3. d. 1. q. 3. §. 1. n. 3.

Non concurrit in genere effectiuo rigoroso, sed tantum in genere materiali, ibi, § 3. n. 2.

Concursus illius valet reduci ad genus causæ effectiuę instrumẽtalis, ibi.

Qualiter illustratur ab intellectu agente, ibi. n. 14.

Materialitas phantasmatis de materiali se habet ad determinationem intellectus possibilis, ibi. §. 4. n. 21.

Phantasma subiectatur in memoria sensitiua, ibi, §. 4. n. 23.

Per se primo repręsentat singulare materiale, ibi. q. 5. §. 1. n. 2.

Potentiæ animæ.

Non sunt in omnibus partibus animalis etiã si anima quoad omnes gradus illas informet, l. 1. d. 1. q. 6. §. 1. n. 6. & 7.

Quæ dimanant a gradu, vt determinata per perfectionem sunt specifice distinctæ ab his quę dimanant à gradu generice accepto, ibi, q. 7. §. 3. n. 19.

Diuiduntur in actiuas tantum, passiuas tantũ & in actiuas, & passiuas simul, ibi. d. 2. q. 1. §. 1. n. 1.

Ab actibus & obiectis speciem extrinsicè accipiunt, ibi. §. 3. nu. 7.

Specialiter respiciunt obiecta per modum finis, ibi n. 9.

Non respiciũt obiecta eo modo quo relationes respiciunt terminos, nec eo modo quo accidentia respiciunt substantiam, ibi. n. 10.

Accipiunt distinctionẽ realẽ ab obiectis formalibus medijs actib' realiter distinctis attactis, ib. n. 12.

Sunt perfectiores actibus in esse rei secus vero in esse obiecti, ibi. §. 4. n. 14.

Nõ valẽt elicere actus in esse intelligibili specie distinctos, ibi. n. 17.

Diuersimodẽ determinãt actũ potentiam ac obiectum habitus obiectum potentiæ, ibi. n. 19.

Specificãtur ab obiectis in esse obiecti acceptis, ibi. q. 2. §. 1. n. 2.

Potentia visiua hominis nec in formalitate passionis, nec in potẽtię formalitate, est à potẽtia visiua bruti specifice distincta, ibi. §. 2. n. 11.

Sanguis.

Omnis siue naturalis, siue nutri-

trimentalis informatur ab anima. l.1.d.1.q.5.§.2.n.6.

Solũ ponitur sub speciebus panis per concomitantiam, ibi, §.3.n.17

Anima in sãguine nulli exercet operationem vitalem etiam si ab illa informetur, ibi.n.24.

Species expressa.

Inmediate repręsẽtãs singulare materiali nõ repugnat, l.3.q.5.§.2 n.13.& 14. *Species impressa.*

Est forma in qua obiectũ repręsentatur, l.3.d.1.q.2.§.1.n.1.

Determinat potentiam ad obiecti cognitionem, ibi.

Valet vsurpari in esse naturali, & in esse intentionali, ibi.n.2.

Intellectus ad intelligẽdũ species bus indiget impresis, ibi, §.2.n.3.

Sicut materia fœcundatur forma substantiali sic intellectus ab specie, ibi.n.4.

Bene stat quod obiectum sit numero vnum, & quod species sint specifice diuersæ, ibi.n.8.

Species impressa nõ se tenet ex parte obiecti, vt signũ, sed ex parte potẽtię vt ratio cognoscẽdi, ib.n.9

Causa adæquata speciei intelligibilis non coalescit adæquate ex intellectu, & phantasmate, ibi, q. 3.§.1.n.4.

Nulla species intelligibilis cõcurrit vero & rigoroso cõcursu effectiuo in intellectionẽ, ib.q.4.§.1.n.4

Species impressæ ab agente in possibile, productæ per se primo repræsentant singularia materialia, ibi.q.5.§.2.n.9.

Species impręssa nostri intellectus debet esse in materialis in essẽdo non vero in repræsentãdo, ibi. §.3.n.20.

Substantia.

Completa est solum propria & rigorosa definitione definibilis, l. 1.d.1.q.1.§.6.n.25.

Qualiter valeat definiri in ordine ad accidens, ibi, n.37.

Cõpleta est ens per se & propter se, incompleta vero per se non vero propter se, l.1.d.2.q.1.§.1.n.4

Materialis nõ habet speciẽ propriã per quã cognoscatur, l.3.q.1. §.2.n.8. *Verbum.*

Diuinum immediate assumpsit sanguinem, l.1.d.1.q.5.§.2.n.8.

Verbũ mẽtis est, ab intellectione distinctum, l.3.d.1.q.6.§.3.n.8.

Visio.

Beata non est productiua Verbi, l.3.d.1.q.7.§.2.n.11.

Beata est de prædicamento actionis, ibi.§.3.n.12.

Vniuersale.

Reflexe est ab intellectu cognitum, l.3.d.1.q.5.§.3.n.22.

Viuentia.

Distinguuntur à posteriori à nõ viuentibus per ordinem ad operationem, l.1.d.1.q.4.§.1.n.2.

Viuens dicitur quod mouetur à se, vel quod est principium actiuum, & passiuum operationis, ibi.

Tria sunt viuendi genera, triaque potentiarum animæ genera, ibi, §.2.per totum.

Vita.

Est duplex radicalis seu per modum actus primi vna, formalis seu per modum actus secundi alia, l. 1.d.1.q.1.§.5.n.23.

Radicalis seu per modum actus primi est etiam duplex radicalis remota vna, & radicalis proxima alia, ibi.

LAVS DEO.

Perque vias vrbis, latòsque vlulasse per agros
Deformes animas vulgus inane ferunt.
Postea præteritis tumulis redduntur honores,
Prodigusque venit, funeribusque modus.
Dum tamen hæc fient, viduæ cessate puellæ,
Exspectet puros pinea tæda dies.
Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurua comas.
Conde tuas Hymenæe faces: & ab ignibus atris
Aufer, habent altas mæsta sepulchra faces.
Di quoque templorum foribus cælentur opertis:
Thure vacent aræ: stentque sine igne foci.
Nunc animæ tenues, & corpora functa sepulchris
Errant: nunc posito pascitur vmbra cibo.
Nec tamen hoc vltrà, quàm quũ de mense supersũt
Luciferi, quot habent carmina nostra pedes.
Hanc quia iusta ferunt, dixere Feralia lucem:
Vltima placandis manibus illa dies.
Ecce anus in medijs residens annosa puellis,
Sacra facit. Tacitæ, nec tamen ipsa tacet.
Et digitis tria thura tribus suo lumine ponit:
Quà breuis occultum mus sibi fecit iter:
Tunt cantata tenet cum fusco licia plumbo,
Et septem nigras versat in ore fabas.
Quodque pice adstrinxit, quod acu traiecit ahenæ,
Obsutum menta torret in igne caput:
Vina quoque instillat, vini quodcumque relictũ est
Aut ipsa. aut comites, plus tamen ipsa bibit.
Hostiles linguas, inimicaque vinximus ora,
Dicit discedens: ebriaque exit anus.

Pro-

Quid tibi cum gladio? dubiam rege, nauita, puppim
Non hæc sunt digitis arma tenenda tuis.
Ille metu pauidus, mortem non deprecor, inquit:
Sed liceat sumpta pauca referre lyra.
Dant veniam, ridentque moram, capit ille coronã
Quæ possit crines Phœbe, decere tuos.
Inducrat Tyrio distinctam murice pallam:
Reddidit ictà suos pollice chorda sonos.
Flebilibus numeris veluti, canentia dura,
Traiectus penna tempora, cantat olor.
Protinus in medias ornatus desilit vndas:
Spargitur impulsa cærula puppis aqua.
Inde (fide maius) tergo delphina recurno
Se, memorant, oneri supposuisse nouo.
Ille sedet: citharamque tenet pretiumque vehendi
Cantat: & æquoreas carmine mulcet aquas.
Dì pia facta vident astris delphina recepit
Iuppiter, & stellas iussit habere nouem. (chilles,
NVnc mihi mille sonos, quoq; est memoratus A-
Vellem, Mæonide, pectus inesse tuum.
Dum canimus sacras alterno pectine Nonas,
Maximus his fastis accumulatur honos.
Deficit ingenium maioraque viribus vrgent,
Hæc mihi præcipuo est ore canenda dies.
Quid volui demens elegis imponere tantum
Ponderis? heroi res erat ista pedis.
Sancte Pater patriæ tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit; hoc dedimus nos tibi nomen eques.
Res tamen antè dedit: serò quoque vera tulisti,
Nomina, iam pridem tu pater orbis eras.

Hoc tu per terras, quod in æthere Iuppiter alto,
Nomen habes: hominum tu pater ille Deùm
Romule concedes: facit hic tua magna tuendo
Mœnia: tu dederas transilienda Remo.
Te Tatius, paruique Cures, Cœninàque sensit:
Hoc duce Romanum est solis vtrumque latus.
Tu breue nescio quid victæ telluris habebas,
Quodcumque est alto sub Ioue, Cæsar habet.
Tu rapis, hic castas duce se iubet esse maritas,
Tu recipis luco, reppulit ille nefas.
Vis tibi grata fuit, florent sub Cæsare leges.
Tu Domini nomen, Principis ille tenet.
Te Remus incusat: veniam dedit hostibus ille.
Cælestem fecit te pater ille patrem.

IAm puer Idæus media tenus eminet aluo:
Et liquidas mixto nectare fundit aquas.
En etiam, si quis Borcam horrere solebat,
Gaudeat: a Zephyris mitior aura venit. (dis.

QVintus ab æquoreis nitidum iubar extulit vn
Lucifer, & primi tempora veris erunt.
Ne fallere tamen restant tibi frigora, restant:
Magnaque discedens signa relinquet hyems.
Tertia lux veniet, custodem protinus Vrsæ
Adspicies geminos exeruisse pedes?
Inter Hamadryadas, iaculatricemque Dianam
Callisto sacri pars fuit vna chori.
Illa Deæ tangens arcus, quos tangimus arcus,
Este meæ Testes virginitatis, ait.
Cynthia laudauit promissaque fœdera seruat,
Et comitum princeps tu mihi, dixit, eris.

Fœ-

Nam modò verrebant nigras pro farre fauillas:
Nunc ipsas ignes corripuère casas.
Facta dea est Fornax: læti Fornace coloni
Orant, vt fruges temperet illa suas.
Curio legitimis tunc Fornacalia verbis
Maximus indicit: nec stata sacra facit.
Inque foro multa circum pendente tabella
Signatur certa curia quæque nota.
Stultaque pars populi, quæ sit sua curia nescit:
Sed facit extrema sacra relicta die.

ESt honor & tumulis animas placare paternas:
Paruaque in exstructas munera ferre piras.
Parua petunt manes: pietas pro diuite grata est
Munere non auidos Styx habet ima deos.
Tegula porrectis satis est velata coronis:
Et sparsæ fruges, paruaque mica salis:
Inque mero molita Ceres: violæque solutæ:
Hæc habeat media testa relicta via.
Nec maiora veto: sed & his placabilis vmbra est,
Adde preces, positis & sua verba focis.
Hunc morem Æneas pietatis idoneus auctor
Attulit in terras, iuste Latine, tuas.
Ille patris Genio solemnia dona ferebat:
Hinc populi ritus eddicère nouos.
At quondam, dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella, parentales deseruère dies.
Non impune fuit, nam dicitur homine ab isto
Roma suburbanis incaluisse rogis.
Vix equidem credo bustis exisse feruntur,
Et tacitæ quæsti tempore noctis aui.

Per

Vt redijt, verubus stridentia detrahit exta:
Atque ait, hæc certè non nisi victor edet.
Dicta facit: Fabiique simul venit irritus illuc
Romulus: & mensas, ossaque nuda videt.
Risit & indoluit Fabios potuisse, Remumque
Vincere Quintilios non potuisse suos.
Fama manet facti, posito velamine currunt,
Et memorem famam, qui bene gessit, habet.
Forsitan & quæras cur sit locus ille Lupercal:
Quæve diem tali nomine causa notet.
Siluia Vestalis cœlestia semina partu
Ediderat, patruo regna tenente suo.
Is iubet auferri paruos? & in amne necari.
Quid facis? ex istis Romulus alter erit.
Iussa recusantes peragunt lachrymosa ministri:
Flent tamen: & geminos in loca iussa ferunt.
Albula, quem Tiberim mersus Tiberinus in vndis
Reddidit? hibernis fortè tumebat aquis.
Hic, vbi nunc fora sunt, lintres errare videres;
Quaque iacent valles, Maxime circe, tuæ
Huc vbi venerunt (neque enim procedere possunt
Longius) ex illis vnus, & alter ait:
Ab quam sunt similes! ab quàm formosus vterque!
Plus tamen existis iste vigoris habet.
Si genus arguitur vultu, nisi fallit imago,
Nescio quem è vobis suspicor esse Deum.
At si quis vestræ Deus esset originis auctor;
In tam præcipiti tempore ferret opem.
Ferret opem certè, si non ope, mater, egeret;
Quæ facta est vno mater & orba die.

Inde Deum colimus, deuectaque sacra Pelasgis,
Flamen ad hæc prisco more dialis erat.
Cur igitur currant & cur si currere mos est,
Nuda ferant posita corpora veste, rogas?
Ipse Deus velox discurrere gaudet in altis
Montibus: & subitas concitat ipse fugas.
Ipse Deus nudus nudos iubet ire ministros:
Nec satis ad cursus commoda vestis erat.
Ante Iouem genitum terras habuisse feruntur
Arcades: & luna gens prior illa fuit.
Vita feris similis nullos agitata per vsus:
Artis adhuc expers, & rude vulgus erat.
Pro domibus frondes norant: pro frugibus herbas
Nectar erat palmis hausta duabus aqua.
Nullus anhelabat sub adunco vomere taurus:
Nulla sub imperio terra colentis erat.
Nullus adhuc erat vsus equi se quisque ferebat
Ibat ouis lana corpus amicta sua.
Sub Ioue durabant & corpora nuda gerebant
Docta graues imbres & tolerare notos.
Nunc quoque detecti referunt monimenta vetusti
Moris: & antiquas testificantur opes.
Sed cur præcipuè fugiat velamina Faunus:
Traditur antiqui fabula plena loci.
Fortè comes dominæ iuuenis Tyrinthius ibat,
Vidit ab excelso Faunus vtrumque iugo.
Vidit & incaluit, montanaque numina dixit,
Nil mihi vobiscum est: hæc meus ardor erit.
Ibat odoratis humeros perfusa capillis,
Mæonis, aurato conspicienda sinu.

2

80

2.009